Digitized by Google

8

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
12 G
14

8.-3.c.6.

FVLVII VRSINI
IN OMNIA OPERA
CICERONIS,
NOTÆ.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

178.8.18

ANTVERPIÆ
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXXI.

Dono authoris. J. Benc

IN LIBRVM I. RHET. AD HERENNIVM.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

1 NOſter doctor Hermetes] Hermagoras *emendat Lambinus: quòd ita hic idem ſcriptor (vt ipſe putauit) nominetur à Cicerone in libris De inuentione, & Quintiliano libro* I. & 2. *In veteribus autem libris modò* Hermeſtes, *modò* Hermes *nominatur. Ego verã lectionem puto* Hermes: *nam* Hermeſtes *errore librarij factum eſt, qui coniunxit* Hermes *nomen cum dictione* tres *quæ ſtatim ſequitur.*

2. C. Pompilius cùm à Gallis obſideretur] C. Popillius *eſt in veteribus libris. Mihi quidem propter hiſtoriæ ignorationem etſi incertum ſit, vtro modo legi debeat, labor tamen vt* Popillium *ſcribendum putem.*

[stamp]

In lib. II. rhet. ad Herennivm

3. Apertè fatur dictio] *malè à quibuſdam* Pythius *hoc loco pro* dictio *emendatũ fuit: poſita eſt enim vox* dictio *pro reſponſo Apollinis, & oraculo. Liui. ab* V.C. *lib.* VIII. Data erat dictio ab vrbe, &c.

4. Et is qui dicat ab alteris alteros lædat] *Ita legitur in manuſcripto, cùm in aliis deſit particula* ab, *omiſſa, vt videtur, à librariis.*

In lib. III. rhet. ad Herennivm.

5. Vt quàm proximè tum vultum admoueamus ad auditores] *In manuſcripto, poſt vocem* vultum, *additum eſt* tum manum: *vt integra lectio ſit,* vt quàm proximè tum vultum tum manum admoueamus ad auditores.

6. Itaq. quas res ante ora videmus aut audimus] *videtur melior lectio, quæ reperitur in manuſcripto*, aut quod recens audiuimus, *pro*, aut audimus.

In lib. IIII. rhet. ad Herennium.

7. Aut Boius] *Opinor ſcribendum* Boeus, *de quo Pauſanias meminit in Laconicis; ab eoq́; conditam Boeam vrbem fuiſſe in extremo Boeiatici ſinus cornu ſcribit.*

8. Quia paullulum in rebus difficillimis aſpirauit] *Liber manuſcriptus habet* facillimis *pro* difficillimis; *& ita videtur aptius huic loco.*

9. Sed commutate: commutabimus tripliciter] *Ex libri manuſcripti auctoritate legēdū eſt*, ſed cōmutare debemus. commutabimus autē tripliciter, *&c.*

10. Dicit homini clarè] clam *eſt in manuſcripto, pro* clarè: *& ita videtur ſcribendum.*

IN LIB. I. DE INVENTIONE.

11. Inter officium autem & finem hoc intereſt, quòd in officio quid fini, in fine quid officio conueniat, conſideratur] *Ita legitur hic locus in libris manuſcriptis, cùm in vulgatis ſit*, quid fieri *pro* quid fini.

12. Nam auditor cum eum quē aduerſarij perturbatum putant oratione, videt animo firmiſſimo contradicere paratum] putat *pro* putant *videtur ſcribendum: & ita eſt in vetuſtiſsimo apud me libro.*

13. Quod genus ſtrepitum acclamationem dicemus] *Ita legitur in optimo manuſcripto, cùm in vulgatis deſit verbum* dicemus *alioqui neceſſarium.*

14. Quæ perſonis atq. negotiis attributæ ſunt] *Melius, vt opinor, habet manuſcriptus*, quæ perſonis aut quæ negotiis attributæ ſunt. *& paulo ſuprà*, cō-

firmationis *pro* confirmandi.

In lib. II. de inventione.

15. Nunc à cõiecturali conſtitutione proficiſcemur] *Liber manuſcriptus habet*, Nunc ad cõiecturalem conſtitutionem proficiſcemur: *&* præceptionum *paulo ſupra*, *pro* præceptorum.

16. Quidam adoleſcens nobilis porcam ſuſtinuit] *Mirificè hic locus illuſtratur denario quodã argenteo, quem ab* Italicis *populus, quo tempore bellum Marſicum motum eſt, cuſum exiſtimare poſſumus ex eo, quòd* Italia *inſcriptum in eo ſit, & in medio militum fœdus ferientium vir inciſus, qui porcam huiuſmodi ſuſtinet.*

17. Apud L. Opimium] *Amicus meus addit* Prętorem: *rectè, ſi ex libro aliquo manuſcripto: conſentit enim hiſtoria. Liuius in epitoma lib.* IX. L. Opimius Prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit.

18. Facile id dicimus quod ſine magno aut ſine vllo labore] *Locus ſumptus ex lib.* 1. *Rhet. Ariſtotelis:* ῥάδια δὲ, ὅσα ἢ ἄνευ λύπης, ἢ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ: τὸ γὰρ χαλεπὸν ὁρίζεται ἢ λύπῃ, ἢ πλήθει χρόνου.

IN LIB. I. DE ORATORE.

1. Hoc enim vno præſtamus vel maximè feris] *Ariſtoteles in epiſt. ad Alexandrum*· ὅτι τοῦτό ἐστιν, ᾧ διαφέρομεν τῶν λοιπῶν ζώων.

2. Cuius veſtigia qui perſequi cupiũt] *Ita ſcriptum eſt in quibuſdam veteribus libris, cùm in vulgatis deſit*, qui: *vox ad illuſtrandam ſententiam neceſſaria.*

3. Idemq. Ser. Galbam] *Sulpiciam gentem duobus ſimul cognominibus vſam fuiſſe, ita vt præter Ser-*

nij prænomen, quod erat omnibus Sulpiciis vſitatum, aliud etiam aſſumeret, admonui cùm in libro De familiis Romanorum, tum in annotationibus in Cornelium Nepotem. Male autem hoc loco fecerunt, qui veterem ſcripturam, quæ in antiquis etiam editionibus extat, mutarunt, & pro idem Q. Ser. Galbam *emendarunt* idemq. Ser. Galbam. *ad veterem autem confirmandam ſcripturam illud addam: Ser. Galbam qui cum L. Sulla conſul fuit, in eburnea teſſera apud me*, L. Sulpicium *prænominari ſine* Ser. *quòd id eſſet, vt diximus, commune Sulpiciis prænomen.*

4. C. Sulpicij Galli] Gali *vnico* l. *ſcribendum eſt auctoribus veteribus numiſmatibus, in quibus hoc cognomen inciſum reperitur.*

5. Et clariſſimi ciues ei ſtudio etiam hodie præſunt] *Locus hic ex auctoritate veteris libri ita eſt ſupplendus*, Et clariſſimi ciues ei ſtudio & ſemper præfuerunt & etiam hodie præſunt.

6. Familiari meo Longo mutuabor] *vel hic* Longino, *vel in oratione pro Cn. Plancio*, Longus *reponẽdũ eſt; quamuis vtrunq. ſit Caſsiæ familiæ cognomen.*

IN LIB. II. DE ORATORE.

7. Neq. ab indoctiſſimis neq. ab doctiſſimis legi velle] *Melius (vt puto) legitur in manuſcriptis*, neque ab indoctis legi velle, neq. à doctiſſimis.

8. Cùm Annibal Carthagine expulſus] *de hac re ita ſcriptum reperitur apud Stobæum Serm.* LII. Ἀννίβας ἀκούσας στωϊκοῦ τινος ἐπιχειροῦντος, ὅτι ὁ σοφὸς μόνος στρατηγός ἐστιν, ἐγέλασε, νομίζων ἀδύνατον εἶναι ἐκτὸς τῆς δι' ἔργων ἐμπειρίας τὴν ἐν τούτοις ἐπιστήμην ἔχειν.

9. Sed ea non ſatis proficere potuiſſet] perficere *videtur ſcribendum, vt eſt in veteribus libris.*

10. Noſſe

10. Noſſe regiones intra quas venere] venire debeas *Lambinus*: *ſed melius eſt in manuſcriptis*, venias, *minúsq. à vulgatis diſſimili ſcriptura.*

11. Vt conuellere adoriamur ea quæ non poſſunt commoueri] *Reſpexit (opinor) ad Græcũ prouerbium*, τὰ ἀκίνητα κινεῖν.

12. Vel quod ipſum oratorem politum eſſe hominem ſignificat] χαρίεντα *Græci dicunt: atq. ex hoc loco ſatis perſpicuum eſt, in epiſtola* I. *lib.* VII. *ad Marium*, polito *ſcribendum eſſe, pro* politico.

13. Si tu & aduerſus & auerſus impudicus es] *Videtur reſpexiſſe ad Archeſilai dictum, quod refert Plutarchus*, μηδὲν διαφέρειν ὄπισθέν τινα ἢ ἔμπροσθεν εἶναι κίναιδον.

14. Vt ſementem feceris, ita metes] *Expreſſit Græcum prouerbiũ, cuius meminit Ariſtoteles lib.* III. *Rhet.* σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας, κακῶς δ' ἐθέρισας.

15. L. Ælius Lamia] *Ita ſcribẽdũ, nõ* Heluius, *vt eſt in editionibus Lãbini, & aliquibus ex antiquiorib.*

16. Vt illud, M. Cicero ſenex] M. Cato, *opinor ſcribendum.*

17. Vt meum illud in Helmium Manciã] Helnium *ex Quinctiliano ſcribendum eſt, & Plinio libr.* XXXV. *cap.* IV.

18. Vt cum Teſtio Pinario] *Non dubito, quin* T. Pinario *ſcribendum ſit*: Teſtius *enim prænomen nuſquam apud Scriptores reperitur; cùm* Titus *Pinariæ genti vſitatum ſit.*

IN LIB. III. DE ORATORE.

19. Facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem cõſeruant] *Videtur hoc ſumpſiſſe ex Cratylo Platonis, in quo ſcriptũ eſt*: γυναῖκες μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σώζουσι.

20. Plures quàm vtile fuit rebus publicis delectauit] *In quodã manuſcripto eſt*, Plures,quàm opus fuit,rebus publicis abdicauit.

21. Tanquam myſterium teneant] *Reſpexit (vt opinor) ad Græcum prouerbium*, μυστήριον κατέχειν.

22. Magiſter hic Samnitium ſumma iam ſenectute eſt,& quotidie commentatur: nihil enim curat aliud,atq. velocius puer didicerat] *Ad confirmãdam P. Victorij correctionem admonebo lectores, pro* q. velocius, *de quo nomine Victorius meritò dubitat, in vetere quodam libro ſcriptum eſſe*, Q. Venonius.

23. Ferro ſeptus poſſidet ſedes ſacras] *Si coniecturæ locus ſit, libentius pro* ſedes *in hoc Attij verſu legerim* ædes.

24. Ille enim turpe ſibi ait eſſe tacere cum Barbaris: hic autem cùm Iſocratem pateretur dicere] Barbaros *pro* Barbaris *legendum eſſe, miror non dũ ab aliquo animaduerſum eſſe; cùm Græcus præſertim verſus extet, vnde ſumpſit Cicero:* αἰσχρὸν μὲν φιλοκτήτην σιωπᾶν, βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν: *ad quem alluſiſſe Ariſtoteles dicitur, cùm de Iſocrate cecinit celebratum illud carmen:* Αἰσχρὸν μὲν Ἀριστοτέλη σιωπᾶν, Ἰσοκράτη δ' ἐᾶν λέγειν. *Diogenes autem Laërtius de Xenocrate id carminis protuliſſe Ariſtotelem dicit.*

25. Stultitiam loquacem] Stultam loquacitatẽ *eſt in veteribus quibuſdam libris. Videtur autem hæc ſententia ſumpta ex Æſchinis oratione contra Cteſiphontem, in qua eſt*, Καλὸν μὲν γὰρ τὴν διάνοιαν προαιρεῖσθαι τὰ βέλτιστα, τὴν δὲ παιδείαν τὴν τοῦ ῥήτορος, καὶ τὸν λόγον πείθειν τοὺς ἀκούοντας. εἰ δὲ μὴ τήν γ' εὐγνωμοσύνην ἀεὶ προτακτέον τοῦ λόγου.

26. Arte pauimento] *In veteribus quibuſdam libris, quos ego vidi, pro* arte *ſcriptũ eſt* endo, *vt ſit*, ἐν τῷ:

quæ

quæ ſcriptura perſpicuè extat apud Plinium lib. XXXV. *cap.*XXV.*conſtat autem* Lucilium *Græcas voces Latinis verſibus non ſemel immiſcuiſſe.*

27. Niſi quòd hominum aures vocẽ natura modulantur ipſa] *Manuſcripti libri aliter habent, & fortaſſe melius:* niſi quòd hominũ auribus vocem natura modulatur ipſa.

IN BRVTVM.

1. Quod eadem menſura reddere iubet qua acceperis] quod acceperis, *liber vnus manuſcriptus. Sed* qua, *magis placet, vt referatur ad Heſiodium illud, vnde tranſtulit,* αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον.

2. Et paullo ſeniorem etiam Solonem, poſteaq. Cliſthenem] *Iſocrates in Areopagitico·* ἣν ἐθελήσομεν ἐκείνην τὴν δημοκρατίαν ἀναλαβεῖν, ἣν Σόλων μὲν ὁ δημοτικώτατος γενόμενος, ἐνομοθέτησε. Κλεισθένης δὲ ὁ τοὺς τυράννους ἐκβαλὼν, καὶ τὸν δῆμον καταγαγὼν, πάλιν ἐξ ἀρχῆς κατέστησεν.

3. Modum tamen & numerum quẽdam oportere ſeruari] *Iſocrates in oratione ad Philippum ita de ſeipſo ſcribit.* οὐδὲ γὰρ ταῖς περὶ τὴν λέξιν εὐρυθμίαις, καὶ ποικιλίαις κεκοσμήκαμεν αὐτόν, αἷς αὐτός τε νεώτερος ὢν ἐχρώμην, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπέδειξα.

4. Cum delectatione aculeos] *Eupolidis verſus Græci, vnde hæc Cicero trãſtulit, reperiũtur apud Plinium in epiſtola ad Cornelium Tacitum lib.*I.

—πρός δ'ἔγ' αὐτῷ τῷ τάχει
πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖς χείλεσιν.
οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

5. Amplius de conſilij ſententia pronunciauiſſent] *In fragmento vno æneo, quod extat apud me Seruiliæ legis, inciſum eſt:*Pr.de conſili ſentẽtia ita pronuncia-

nontiato feciſſe videtur: *in altero*, quotiesquomque amplius bis in vno iudicio.

6. L.enim Piſo Tr. Pl. legem primus de pecuniis repetundis Cenſorino & Manilio Coſ. tulit] *Huius legis mentio eſt in æneo Seruiliæ legis apud me fragmento, cuius modò meminimus*, Ex lege quam L. Calpurnius L.F. Tr. Pl. rogauit. exue. lege. quam. M. Iunius. D.F. Tr. Pl. rogauit.

7. Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium: Scaurum in antiquis] in Atticis *magis placeret pro*, in antiquis, *ſi diuinare liceret*.

8. L.Cæſidenus] *Opinor* Cæſidienus *ſcribēdum eſſe: nam à Cæſio Cæſidius, vt à Iuſio Iuſidius, & inde Cæſidienus, vt à Naſidio Naſidienus, deductum eſt.*

9. C. Ruſticellus Bononienſis] Ruſticelius *corrigēdum eſt ex auctoritate vetuſtiſſimi numiſmatis ærei, quod eſt apud me cū inſcriptione* C. Ruſticelius Cordus II. vir.

10. Cum P. Craſſo M. F.] *Extat denarius argēteus Craſſi huius, in quo inſcriptū eſt*, P. Craſſus M. F.

11. Neq. poſſum ſi velim: nec velim fortaſſe ſi poſſim] *Sententia ſumpta ex apologia Gorgiæ* ὑπὲρ Παλαμήδους· οὔτε γὰρ, *inquit*, βουληθεὶς ἐδυνάμην ἄν, οὔτε δυνάμενος ἠβουλήθην ἐπιχείρειν τοιούτοις.

IN ORATOREM AD M. BRVTVM.

1. Cuius ex epiſtolis] *Intelligit epiſtolam quam ſcripſit ad Heracleodorum.*

2. Negat in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ] *Locus ex oratione Demoſthenis* περὶ στεφάνου· πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτο, *inquit*, οὐχ ὁρᾷς γέγονε τὰ τῶν ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα, ἀλλὰ μὴ τουτὶ διελέχθην ἐγὼ: ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα, ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρήνεγκα.

3. Nun-

3. Nunquam ab Ariſtophane poëta fulgere, tonare, permiſcere Græciam dictus eſſet] *Græci verſus Ariſtophanis reperiuntur apud Plinium lib.1. ep. ad Cornelium Tacitum.*

περὶ θῶ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην,
ἤστραπτ᾽, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν ἑλλάδα.

4. Aut decem virorum litibus iudicandis] xviri ſlitibus iudicandis *in antiquis lapidum monumentis reperiũtur. S*lis *etiam pro* lis *habet ænea tabella apud me, in qua Seruilia lex inciſa eſt de pecuniis repetũdis.*

5. Triumpos, Cartaginem] triumpus & Cartago *ſine aſpirationis nota in veteribus etiam monumentis reperitur.*

6. Is igitur verſum in oratione vetat eſſe: numerum iubet] *Ariſtotelis verba de hac re ſunt·* διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή: ποίημα γὰρ ἔσαι.

7. Quod longè Ariſtoteli videtur ſecus, qui iudicat Heroum numerum grãdiorem quàm deſideret ſoluta oratio: iambum autem nimis vulgari eſſe ſermone] *Ex* III. *Rhet. ad Theodectem hic locus ſumptus eſt·* ὁ μὲν ἡρῶος σεμνὸς, καὶ οὐ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος· ὁ δὲ ἴαμβος, αὐτή ἐστιν ἡ λέξις τῶν πολλῶν.

8. Ita pæana probat, eoq. ait vti omnes, *&c.*] *Ex eodem libro hæc quoque trãſlata ſunt·* λείπεται δὲ παιὰν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ὡς ἐν ἀπορρήτῳ ἀπὸ θρασυμάχου ἀρξάμενοι· οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν· ἐστὶ δὲ τρίτος ὁ παιὰν, καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων.

9. Iambus enim & dactylus in verſum cadunt maximè· itaq. vt verſum fugimus in oratione, ſic hi ſunt euitandi continuati pedes] *Hoc quoq. ex eodem Ariſtotelis libro tranſlatum eſt*, οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ διότι μετρικοί. *Sunt autem qui Ciceronem reprehendant, quòd Ariſtotelis ſententiam nõ expreſſerit,*

expreſſerit, cum μετρικοὶ *vertit*, in verſum cadunt maximè, *ſed non iure: loquitur enim Ariſtoteles non de paane, ex quo verſus omnino nõ conficitur, ſed de pedibus, ex quibus maximè metrũ cõfici ſolet: vt ſunt iambus & dactylus, quos hic* Cicero *nominat. nam vbi Ariſtoteles*, οἱ μὲν οὖν ἄλλοι *dicit*, Cicero *explicat pedes nominatim, iambum ſcilicet, & dactylum.*

IN TOPICA.

1. Vt ſine vllo errore ad eam rationem via perueniremus] ratione & via *legendum, qua verba vna tantùm voce à Gracis explicantur, ſcilicet* μεθόδῳ.

2. Si compaſcuus ager eſt, ius eſt cõpaſcere] *Cõpaſcuus ager qui dicatur, ex Thoria legis aneo apud me fragmento intelligere poſſumus, in quo ita inciſum eſt:* Quei in agrum compaſcuom pecudes maiores non plus x. paſcet, *&c.*

3. Qua fluctus alluderet] *Ita habẽt veteres libri, & rectè, vt videtur, ex loco ſimili apud Catullum:* Ipſius ante pedes fluctus ſalis alludebat. ῥόχθει δὲ *(inquit Homerus)* μέγα κῦμα ποτὶ ξερὸν ἠπείροιο.

4 Adoleſcentiam florem ætatis, ſenectutem occaſum vitæ] *Pertinent hac ad Pythagora ſententiam, qua ſic Gracè habetur:* αἱ δὲ ἡλικίαι πρὸς τὰς συμμετρίας ὧδε σύμμετροι· παῖς, ἔαρ· νεανίσκος, θέρος· νεηνίης, φθινόπωρον, γέρων, χειμών.

5. Numero ſic comparabuntur, vt plura bona paucioribus bonis anteponantur] *Videtur hoc ex Ariſtotele ſumpſiſſe, cuius verba ſunt ex libr.* 1. *Rhet.* ἀνάγκη τά τε πλείω τοῦ ἑνὸς, καὶ τῶν ἐλαττόνων, συναριθμουμένου τοῦ ἑνὸς, ἢ τῶν ἐλαττόνων μεῖζον ἀγαθὸν εἶναι.

IN PARTITIONES.

1. Statuit autem aut de præteritis vt iudex, aut de

de futuris vt ſenator: ſic tria ſunt genera, *&c.*] *Locus ſumptus ex lib.* 1. *Rhet. Ariſtotelis:* ἀνάγκη δὲ τὸν ἀκροατὴν ἢ θεωρὸν, ἢ κριτὴν. κριτὴν δὲ, ἢ τῶν γεγενημένων, ἢ τῶν μελλόντων. ἐστὶ δὲ ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρίνων, οἷον ἐκκλησιαστής. ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων, οἷον ὁ δικαστής. ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως, οἷον ὁ θεωρός· ὥστε ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν.

2. Quamobrem de primo primum ſi placet diſputemus] *Videtur adumbraſſe illud Ariſtotelium,* κατὰ φύσιν πρῶτον ἀπὸ τῶν πρώτων.

3. Et fortitudinem audacia imitatur] *Hæc quoq. Ariſtotelis ſunt ex lib. Rhet.* 1. οἷον τὸ θρασὺ, ἀνδρεῖον· καὶ τὸ ἄσωτον, ἐλεύθερον.

IN LIB. DE OPTIMO GENERE ORATORVM.

1. De optimo genere dicēdi] *Ciceronē hūc librū inſcripſiſſe, colligere poſſum⁹ ex ep.* XVII. *l.* XII. *ad Caſſiū.*

2. Quod magis eſt tractatum à Latinis] *Miror Ciceronem ſcripſiſſe Dithyrambicum poëma magis tractatum fuiſſe a Latinis, cùm conſtet neminem vnquam Latinorum carmen Dithyrambicum compoſuiſſe. Itaq. placeret, ſi hic locus ita legeretur; vt ex manuſcripti libri corrupta ſcriptura, amicus meus homo doctiſſimus emendauit:* Poëmatis enim Tragici, Comici, Epici, Melici, Dithyrambici etiam ac Iambici, quod magis eſt tractatum à Latinis.

3. Ita fit vt Demoſthenes certè poſſit ſummiſſe dicere, elatè Lyſias fortaſſe non poſſit] *Chariſius lib.* II. *aliter legit:* Ita fit vt Demoſthenes certè poſſit ſummiſſe dicere, Lyſias fortaſſe non poſſit.

4. Hunc igitur Cteſiphontem] *Æſchines in oratione cōtra Cteſiphontem.* λέγει γὰρ οὕτως ἐν τῷ ψηφίσματι,

τι· καὶ τὸν κήρυκα ἀναγορεύειν ἐν τῷ θεάτρῳ πρὸς τοὺς ἕλληνας, ὅτι στεφανοῖ αὐτὸν ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἀρετῆς ἕνεκα, καὶ ἀνδραγαθίας, καὶ τὸ μέγιστον, ὅτι διατελεῖ λέγων, καὶ πράττων τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ.

5. Ad quod iudicium concurſus dicitur è tota Græcia factus eſſe] *Æſchines in eadem oratione :* ὁρῶ δὲ οὐκ ὀλίγους παρόντας, ἀλλ' ὅσους οὐδεὶς πώποτε μέμνηται πρὸς ἀγῶνα δημόσιον παραγενομένους.

IN LVCVLLVM.

1. Nos autem qui contra omnes dicere qui ſibi ſcire videntur ſolemus] *Ita legitur hic locus in libro manuſcripto, cuius ſcripturā libentius ſequor quàm eā, quæ circunfertur in vulgatis.*

2. Et Tetrilius Rogus] *Manuſcripti aliquot libri habent* Tetrinius, *quod eſt nomen familiæ Romanæ apud Suetonium in Caio. Sed ſiue* Tetrinius *ſcribas, ſiue, vt eſt in vulgatis,* Tetrilius, *parum refert; dummodo* Rocus *pro* Rogus *retineatur, quod eſt in antiquis denariis Crepereiæ gentis cognomen.*

3. Repetunt iam à P. Valerio] *In antiquo codice eſt,* Repetunt à P. Valerio; *& ſic alibi locutus eſt:* Repetunt ab Erechtheo.

4. Quod ſi illi tum in nouis rebus quaſi modò naſcentes hæſitauerunt] *Petrus Ciacconus putat voces* quaſi modò naſcentes *adiectas Ciceroni fuiſſe.*

5. Quod inueſtigata ſunt] quot *habet vetus liber, & ita mihi videtur legendum, quòd facile* t. *littera in* d. *mutari ſolita ſit: inde* ſet *pro* ſed, *& alia huiuſmodi multa reperiuntur.*

6. Audiuit enim Egeſinū] *Ita Manutius:* Egeſimū, *Lābinus: vterq. malè. eſt enim recta ſcriptura,* Hegeſinus. ἡγησῖνος *habēt Græci ſcriptores Laërtius, & alij.*

7. Bene

7. Bene autē noſſe Carneadē Stratoniceus Metrodorus putabatur] *Laërtius lib.* x. Μητρόδωρον δὲ τὸν Στρατονικέα πρὸς Καρνεάδην ἀποχωρῆσαι τάχα βαρυνθέντα ταῖς ἀνυπερβλήτοις αὐτοῦ χρηστότησιν.

8. Vt nemo ſit noſtrum qui non, in ſenſibus ſui cuiuſq. generis iudicium requirat acrius] *Particula* non *abeſt à vetere, eoq́ optimo libro: & omnino tollenda videtur; vt ſenſus conſtet huius loci commodior.*

9. Si ea quæ diſputent vera non ſint, tum omnia fore incerta] *Hîc quoque delendam opinor particulā,* non, *quæ abeſt à libro viri doctiſſimi, qui cum manuſcripto diligenter fuit collatus.*

10. Quæ omnino nulla ſunt] ſint *rectius habent veteres libri.*

11. Vtimur exemplis ſomniantium, furioſorum, ebriorum, illud attendamus] *Longè melius hic locus legitur in libro, qui emendatus eſt à viro doctiſſimo ex collatione manuſcripti exemplaris:* Vtimur exemplis ſomniantium, furioſorum, ebriorum: nec illud attendimus, *&c.*

12. Suſtinenda eſt potius omnis aſſenſio] *Expreſſit Græca illa,* δεῖ μᾶλλον πᾶσαν συγκατάθεσιν ἐπέχειν.

13. Quid eum Mneſarchi pœnitebat] Quid enim? Mneſarchi pœnitebat. *ita eſt in codice manuſcripto.*

14. An de vllis certius poſſum dicere] poſſumus, *eſt in veteribus libris, melius, vt videtur, quàm in vulgatis.*

15. Audiat quàm nobiſcū malè agatur: vt enim vera videamus, quàm longè videbimus? Ego Catuli Cumanam ex hoc loco regionē video, Pompeianum non cerno] *Huius loci ſcriptura, multo, vt mihi videtur, emēdatior reperitur in libro, qui eſt collatus à viro*

à viro doctiſſimo cum manuſcriptis, quàm quæ in vulgatis circumfertur: Audiet quàm nobiſcũ malè egerit: vt enim vera videamus, quàm longè videmus? ego Catuli Cumanum ex hoc loco video, Pompeianum non cerno.

16. Quam haberet M. Cotta] *Opinor ſcribendum, vt eſt in manuſcripto* quam haberet in C. Cotta. *Fuit enim C. Aurelius Cotta bis conſul cum P. Seruilio Gemino, anno poſt vrbem conditam* D I. *&* D V.

17. Centum Alexandros eiuſdem modi facere nõ poſſit] *Melius vt in manuſcripto*, facere nũ poſſit?

18. Dormienti verò æquè ac vigilãti probãtur] Probabantur *eſt in veteribus libris*; *& ita huius loci ſententia requirit, vt legatur.*

19. Si habes quod liqueat, neque reſpondes: ſuperbe] *In veteribus libris eſt*, ſuperbus.

20. Etenim is quoq. qui à vobis ſapiẽs inducitur] à nobis *habet liber manuſcriptus, quod magis placet.*

21. Non enim eſt è ſaxo ſculptus aut è robore dolatus] aut ebore dolatus *eſt in manuſcripto, ſed non placet: diſſentit enim à Græco verſu, vnde hæc Latina tranſlata ſunt*, οὐκ ἀπὸ δρυὸς, οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης.

22. Academicis placere eſſe rerum eiuſmodi diſſimilitudines] *Scribe*, ſimilitudines, *auctoribus libris veteribus.*

23. Et facile eſſe ei locum] & facias *videtur legẽdum: & ita eſt in manuſcripto.*

24. Liniamentum ſine vlla latitudine carẽtem] *Locus ſine dubio mendoſus. nec diſplicet Scalæ emendatio, quam vulgauit Manutius. poſſet etiam ita corrigi:* Lineam autem, longitudinem latitudine carentem, *vt proximè accedat ad Euclidis definitionem*, γραμμὴ μῆκος ἀπλατές.

25. Princeps

25. Princeps Thales vnus è ſeptem cui ſex reliquos conceſſiſſe primas ferunt] *Huius loci emendatio debetur Ioanni Scalæ, qui primus pro* conſenſiſſe primos, *correxit* conceſſiſſe primas: *eamq; correctionem Callimachi auctoritate confirmauit ex Diogene Laërtio.*

26. Anaxagoras materiã infinitam, ſed eas particulas ſimiles inter ſe] *Lãbinus* id eſt particulas, *&c. melius fortaſſe in veteribus*, ſed ex ea particulas, *&c.*

27. Quanti libertas iſta æſtimanda eſt] *Videtur rectius eſſe in manuſcripto* ipſa, *pro*, iſta.

28. Nec eo tamen aiunt Empiricis notiora eſſe illa, quia, *&c.*] *Videtur legendũ eſſe* empirici, *ſine littera s, & ita interpungẽdum*· Nec eo tamẽ aiunt Empirici notiora eſſe illa; quia, *&c. Hoc autẽ Empiricorum argumẽtum, quo corporũ diſſectionem ſuperuacaneam & vanam eſſe conabantur oſtendere, ponitur à Galeno multis in locis, & à Cornelio Celſo in procemio, cuius verba ſunt hæc; Nam colorem, lauorẽ, mollitiem, duritiem, ſimiliaq; omnia non eſſe talia inciſo corpore, qualia integro fuerint. quia cum corporibus inuiolatis, hæc tamen metu, dolore, inedia, cruditate, laſſitudine, mille aliis mediocribus affectibus ſæpe mutentur, multo magis veriſimile eſſe, interiora, quibus maior mollities, lux ipſa noua ſit, ſub grauiſſimis vulneribus, & ipſa trucidatione mutari: neque quicquam eſſe ſtultius, quàm quale quidque viuo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, imò iam mortuo.*

29. Qui aduerſis veſtigiis ſtent contra noſtra veſtigia] *Diogenes in Pythagora*· εἶναι δὲ καὶ Ἀντίποδας, καὶ τὰ ἡμῖν κάτω, ἐκείνοις ἄνω.

30. Vos verò hui⁹ magnitudinẽ] *Magis placet, vt eſt in libris manuſcriptis*, vos ergo eius magnitudinẽ.

31. Et Ariſtoteles eiuſque amici nunc proximè videntur accedere] *Scribe* huc,*pro*,nunc: *ita enim ex codicibus manuſcriptis correxit in ſuo libro vir doctiſſimus Ioannes Scala.*

32. Per ἐποχὴν illam omnium rerum cōprobans] *Locus in vulgatis ſtella notatus corrigi poteſt, ſi pro*, per,*legatur* ſemper,*vt eſt in libro manuſcripto.*

IN LIB. I. ACADEMICORVM.

1. Nos autem præceptis Dialecticorum & Oratorum etiam] *Ita legēdum ex libro manuſcripto, cùm in vulgatis deſit vox* etiam, *quæ alioqui neceſſaria videtur.*

2. Ita enim appellat Atomos] *Deeſt verbū* Atomos *in manuſcripto,& rectè,vt videtur.*

3. Et tamen in illis veteribus noſtris quæ Menippum imitati non interpretati quadam hilaritate conſperſimus] *Videtur legendum*, quas *pro* quæ, *vt ad Varronis Satyras referatur, quas inſcripſit Menippeas.*

4. Philoſophice ſcribere volumus] philoſophiā *habet vetus liber pro* philoſophice.

5. Sed date mihi nunc: ſatis ne probas] *Libentius, ſi veteres libri adiuuarent, legerem*, ſed ea mihi nunc non ſatis probas.

6. Quæ contra Philonem Antiochus ſcripſerit] *De Antiocho Aſcalonita,qui veteris academiæ tiā penè deſertæ patrociniū ſuſcepit, Plutarchus in vita Luculli ſic ſcribit:* ἴδιον φησὶ τῆς ἀκαδημίας ἐξ ἀρχῆς ἐρῶντα, καὶ ζῆλον ἔσχεν οὐ τῆς νέας λεγομένης καίπερ ἀνθούσης τότε τοῖς Καρνεάδου λόγοις διὰ φίλωνος, ἀλλὰ τῆς παλαιᾶς πιθανὸν ἄνδρα, καὶ δεινὸν εἰπεῖν τότε προστάτην ἐχούσης τὸν Ἀσκαλωνίτην

νἶτην Ἀντίοχον,&c.pro iſtam, *eſt* iſta *in veteribus libris*: *quam ſcripturam agnoſcit vir doctiſſimus in ſuo etiam libro.*

7. Et ab ipſa natura inuolutus] & ipſa natura, *ſine* ab *videtur legendum: & ita eſt in manuſcripto.*

8. Nam cùm Speuſippum ſororis filium Plato philoſophiæ quaſi heredem reliquiſſet: duos autem præſtantiſſimos ſtudio atque doctrina Xenocratem & Ariſtotelem] *Si diligentius attendamus, manca & imperfecta videtur oratio: nam illud* duos autem, *non habet quò referatur. itaque Petrus Ciacconius coniectura ductus, vt mihi videtur, optima, exiſtimat legendũ;* philoſophiæ ex aſſe heredem reliquiſſet: ſecundos auté præſtantiſſimos, *&c notũ eſt cũ ex Cicerone ipſo, tum ex iureconſultis omnibus, qui ſint ſecundi heredes; & cùm ita eſſet ſcriptum;* II^os^. autem, *imperitus librarius pro* ſecundos, *fecit*, duos. *poſſet etiam defendi vox* quaſi; *vt dicat* Speuſippum primum quaſi heredem relictum, ſecundos autem Ariſtotelem *&c.*

9. Illam. A. S. D. de. O. R. &. N. A. A. C. D. R.] *Petrus Ciacconus putat duas voces abundare, ſicq; legendum eſſe*, Illam. autem. Socraticam. de. omnib. reb. nulla. affirmatione. adhibita. conſuetudinem. D. reliquerunt.

10. Ita facta eſt diſſerendi quod minimè Socrates probabat, ars quædam] *Hic quoque verbũ* diſſerendi *videtur abundare. ait enim philoſophiam factam eſſe artem, quæ ars de rebus certis & notis tractare ſolet, cùm Socrates de ſingulis tanquam de incertis diſputans eam artem eſſe negaret.*

11. Fuit ergo iã accepta à Platone philoſophandi ratio triplex] *Petrus Ciacconus expungit vocem*, accepta, *tanquam ſuperuacaneam.*

12. Et quaſi qualitatem quandam nominabant] *Delenda vox* quaſi *auctoribus antiquis codicibus.*

13. Itaq. aër; vtimur enim pro Latino; & ignis & aqua] *Ita legendum ex manuſcripto.*

14. Omnibusq. modis mutare] mutari *habet liber antiquus, fortaſſe melius.*

15. Primum vt in quattuor initiis rerum] *Delenda*, in, *præpoſitio, quæ rectè abeſt à vetere libro.*

16. Qui ab antiquorum ratione nunc deſciſcis] *Pro* qui, *liber manuſcriptus habet* quam; *vnde cõiecturam facio, ſcribendum eſſe* quoniam.

17. Et veluti amantes Socratem Democritum, Anaxagoram, Empedoclem] *Ex librorum veterum auctoritate, confirmante etiam hiſtoria, corrigendum puto*, & multo iam ante Socratẽ; Democritũ, Anaxagoram, Empedoclem, *&c.*

IN LIB. I. DE FINIB. BONORVM ET MALORVM.

1. Sed tam multum ſtudium tamq. multã operam] *Ita eſt in manuſcriptis, quãuis ad orationis magis venuſtatem pertineat, ſi ita legatur, quàm ad ſententiam.*

2. A quibus tam diſſentio] tantum diſſentiõ, *rectius eſt in manuſcripto.*

3. Vtinam eſſet ille Perſius] *Ita eſt in manuſcripto, cùm in vulgatis deſit verbum* eſſet.

4. Facetè is quidem ſicut alias] alia *habet manuſcriptus liber, quod magis placet.*

5. Quem quidem iocum cum multa venuſtate & omni ſale ridet Lucilius] *Ita corrigendus eſt hic locus ex fide veteris exemplaris: in vulgatis enim pro* iocum

iocum & ridet *ineptè ſcriptum eſt* locum & idem.

6. χαῖρε. hinc hoſtis Muci] *Scribendum* χαίρετε: *eſt enim ad lictores oratio, quos ſalutat Prætor Scæuola*: lictores turma omni' cohorsq́. *cùm autem in veteribus libris ſcriptum ſit* chorusq́. *inde conîici poteſt, in antiquioribus fuiſſe* chorsq́. *quomodo in antiquis etiam denariis inciſum reperitur.*

7. Explicatam eſſe iis litteris arbitramur] iis libris *eſt in manuſcripto, & ita videtur legendum.*

8. Defenſa eſt Epicuri ſententia de voluptate] *διαφυλάττειν τὴν γνώμην dicunt Græci.*

9. Democrito adiicit perpauca mutans] Democrito adhæreſcit perpauca mutans: *ita eſt in manuſcripto apud me libro. & paulo pòſt* citimum, *pro* extremum.

10. Itaq. attulit rem commenticiam] *Aduerbiũ* itaq. *abundare videtur, delendumq́ omnino, quia abeſt à vetere libro, reiiciente etiam ſententia.*

11. Quem in adoptionẽ D. Silano emancipauerat] *Ad hanc indicandam adoptionem, in denario argẽteo* D. Silani *impreſſus eſt torques, Manliæ Torquatorum familiæ uſitatum inſigne, de quo abũde ſcripſimus in libro De familiis Romanorum.*

12. Quoquo is modo loqueretur] *Ita legẽdum, cùm in vulgatis ſit*, id *pro* is.

13. Aliena dicit in Phyſicis, nec ea ipſa quæ tibi probarentur: ſed ſi quæ in his corrigere voluit, deteriora fecit] *Scribe ex antiquo codice*, aliena dicit in Phyſicis, nec ea ipſa quæ tibi probẽtur; & ſi quæ, *&c.*

14. Vt ad id omnia referri oporteat, ipſum autẽ nuſquam] *Ariſtoteles lib. 1. ad Nic.*: ἁπλῶς δὲ τέλειον τὸ καθ' αὑτὸ αἱρετὸν ἀεὶ, καὶ μηδέποτε δι' ἄλλο.

15. Etenim quid percipit & quid iudicat [*Antiquus*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quus liber habet, at quid percipit, aut quid iudicat?

16. Et omnium falſarum opinionum temeritate direpta]. *Placet* dirempta, *vt eſt in libro manuſcripto*.

17. Nec quid prouenturum ſit prouident] nec quid porrò euenturum ſit prouident, *legitur in manuſcripto, & ſine dubio melius*.

18. Si contra ſemper alit aliquid] quid *pro* aliquid *eſt in manuſcripto, & paulo pòſt legendum* quas natura non deprauata deſideret.

19. Sic iniuſtitia cuius in mente conſedit, hoc ipſo quod adeſt, turbulenta non poteſt non eſſe] *Locus hic in Aldinis editionibus deprauatus, ita ex manuſcriptis exemplaribus eſt corrigendus*.

20. Nemo igitur eſt non miſer] eorum non miſer, *habet manuſcriptus liber*.

21. Ecce alij minuti & anguſti aut omnia ſemper deſperantes] *Inducẽda videtur particula* aut, *quæ abeſt à manuſcripto codice*.

22. Niſi æquè amicos & noſmetipſos diligamus] *Rectius eſt in manuſcripto* ac nos metipſos.

23. Si ludicra exercendi aut venandi conſuetudine adamare ſolemus] *Mihi magis placet vt eſt in vetere codice*, ſi ludicras exercendi aut venandi conſuetudines adamare ſolemus.

IN LIB. II. DE FINIBVS.

1. Omnes enim iucundum motum quo ſenſus hilarentur] hiarent *habet liber manuſcriptus, pro*, hilarentur; *quod magis placet*.

2. Nullum inueniri poteſt quod magis idẽ declaret Latinè quod Græcè quam declarat voluptas] *Supplendum ex manuſcripto*, nullum inueniri poteſt quod magis idẽ declaret Latinè quid Græcè, ἡδονή,

quam declarat voluptas.

3. Dicat adiungendam illam, quæ ſit in motu] *Ita legitur hic locus in manuſcripto. & paulo pòſt*, notiones verborum *pro* cogitationes, *vt eſt in Aldinis, ſiue vt habet Victorius*, cognitiones.

4. Diodorus ad eandem honeſtatem addidit vacuitatem doloris] *Verbum* addidit,*abūdat,additum ab eo qui locum explicatione illuſtrare voluerit.*

5. Similiter & ſi dicat] *Scribendum* ac ſi dicat: *& paulo pòſt*, dum cetera cauerent,*pro* duntaxat.

6. Reſplendeat his veſtis] reſpondeat, *eſt in manuſcripto: & in Lucilianis verſibus*, glumas *legēdum pro*,gumas:*&* illaq. verè,*pro* illudq. verè.

7. Non ſolùm vt recta ſequamini] *Melius* ſequamur,*vt habet antiquus liber.*

8. Vt voluptatem illam Ariſtippi] *Videtur* Ariſtippi *nomen χολιαςικῶς fuiſſe ab aliquo poſitum: abeſt enim à vetere libro.*

9. Hoc diuinum animal]*Deeſt in antiquo particula*, ſic, *quæ reperitur in manuſcripto, in quo eſt*, ſic hoc diuinum, *&c.*

10. Quòd rationem habeant à natura menti datam,& acrem & vigentē] *Ita legitur in antiquo, cùm in vulgatis ſit*,mentemq.*pro*,menti.

11. Et ſe implicet primùm ciuium, deinde omnium mortalium ſocietate] *Lambinus habet* ſocietati,*vt eſt in manuſcripto: ſed malè* implicet *retinuit, pro* applicet.

12. In formarum ſpecie, ac dignitate] *Ita legendum pro* à dignitate.

13. Contineo me ab exemplis. Græcis hoc modicum eſt: Leonidas, Epaminondas, tres alij, aut quattuor]*Ita interpungendus hic locus ex libro manu-*

ſcripto : *malè enim habent vulgati*, Contineo me ab exemplis Græcis, *&c.*

14. L. Thorius Balbus fuit Lanuuinus] *Extat L. Thorij huius Balbi denarius argenteus, in quo Iunonis ſoſpitæ ſimulacrum, quale Lanuuij colebatur cum pellè caprina ſignatum eſt, adiecta inſcriptione* L. Thorius Balbus I. S. M. R. *hoc eſt, Iuno Soſpita Maxima Regina.*

15. Hic dolor populi, duce & auctore Bruto cauſa ciuitati libertatis fuit] *Abundat vox* ciuitati, *quæ nec in manuſcripto reperitur.*

16. Teſtes excitamus eos] citamus *habet liber manuſcriptus, & paulo pòſt legendum*, at cum tuis ſi diſſeras, *pro*, at cum tuis cùm diſſeras.

17. Et eam tantum ad aurem admouerent] *Corrigendum auctore libro manuſcripto*, & ea tamen ad aurem, *&c.*

18. Cur Thorius, Poſtumius, Curtius, cur omnium magiſter Orata] *Huic loco Stellula in Aldinis appoſita eſt. putaui autem aliquando commodè corrigi poſſe, ſi pro* Curchius *legeretur* Orchius, *quod eſt familiæ Romanæ nomen ſatis notum: ſed incidi poſtea in manuſcriptum librum, qui haberet* cur Chirus, *vnde coniecturam feci*, cur C. Hirrus *emendari debere.* C. *enim Hirrus murenarum viuarium primus excogitauit, vt ſcribit Varro lib.* III. *De re ruſt. & Plinius libro* IX. *cap.* LV.

19. His enim rebus detractis] *Vox* rebus *non eſt in manuſcripto, neq. videtur neceſſaria.*

20. Qui pietatem cauet] qui piè metu agit, *legebat amicus meus homo doctiſſimus.*

21. Eſſe enim, niſi eris, non potes] niſi ſis, *habet manuſcriptus liber.*

22. Satis & in mediocribus amicitiis præſidij: contemni iam nõ poteris] *Aliter eſt in manuſcripto, ſed non ita rectè*, ſatis & in mediocribus amicitiis: præſidium iam contemnere poteris.

23. An id exploratum cuiquam eſſe poteſt] *Sentẽtia ſumpta ex Sophoclis verſibus in Trachyniis, quam expreſſit etiam in Catone:*

ἢ καὶ πλείους τις ἡμέρας λογίζεται
μάταιός ἐστιν· οὐ γὰρ ἔσθ᾽ ἥ γε αὔριον,
πρὶν εὖ πάθῃ τις τὴν παροῦσαν ἡμέραν.

24. Quædam alia toleratio eſt verior] ratio *pro*, toleratio, *habet manuſcriptus liber.*

25. Huic Epicurus comparet ſe ſi poteſt] comparet ſi quid poteſt, *eſt in manuſcripto.*

26. Ab adoleſcente ſuſcepta] ab adoleſcentulo, *eſt in vetere libro, quam lectionem confirmant Græca Epicuri verba apud Laërtiũ, vnde hæc Ciceronis tranſlata ſunt*, ἐκ μειρακίου.

27. Maria ambulauiſſet, terramque nauigaſſet] *Iſócrates in Panegyrico*· ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάσσης, τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δὲ Ἄθω διορύξας. *Huc reſpexit Lucretius lib.* III. Ille quoq. ipſe viam qui quondam per mare magnum Strauit. *Dubium autem nõ eſt, quin Xenophontis locum Cicero exprimere voluerit.*

IN LIB. IIII. DE FINIBVS.

1. Titillantem ex ea re natam lætitiam] *Ita cum Lambino legit Manutius, & commodè, vt videtur: debeo tamẽ admonere lectores in vno apud me manuſcripto reperiri* titillationem, ex eá ve natam lætitiam.

2. Quæ ipſi Græciæ nota non ſunt] *In manuſcripto eſt*, Quæ ipſi ſcientiæ nota ſunt.

3. Quod ſi in ea lingua quam pleriq. vberiorem putant conceſſum eſt vt doctiſſimi homines *&c.*] *Ita legitur hic locus in vetere libro, cùm in aliis ſit* conceſſum à Græcis eſt.

4. Sic equidem diligentiùs] hic equidem *&c. ſcribendum ex antiquo codice.*

5. Principium ductum eſſe à ſe diligendo. in principiis autem naturalibus pleriq. *&c.*] *Ita opinor legendum ex manuſcripto: in vulgatis autem abundant verba* diligendi ſui: *& pro* diligendo, *ſcriptum eſt* diligendi, *quam lectionem notauit etiam Morelius.*

6. Quæ ſunt contra naturam, arbitrantur] arbitramur *habet manuſcriptus.*

7. Simul autem cepit] *Scribēdum* ſimul ac cepit: *Ita enim eſt in vetere libro.*

8. Vt enim, ſi cui ſit propoſitum collimare haſtā aliquò, aut ſagittam vt feriat, ſicut nos vltimum in bonis diximus: ſic huic in huiuſmodi ſimilitudine, omnia ſunt facienda vt collimet, & tantum niti, vt omnia faciat, quo propoſitum aſſequatur] *Ita legitur hic locus in vetere libro, minus vt videtur, quàm in vulgatis, mendosè. In lib.* II. *De diuinatione dixit*: quis eſt qui totum diē iaculans non aliquando collimet? *Vt de verbo Collimare, non ſit dubitandum, & ſi alij pro eo*, collineet, *repoſuerint.*

9. Non ſequi vt etiam diuitias bonum eſſe dicamus] ſequitur *pro*, ſequi, *eſt in codice manuſcripto.*

10. Et ſæpe officiū eſt ſapiētis deſciſcere à vita] *Ita planè eſt in manuſcripto, niſi quòd pro* deſciſcere, *habet*, diſcedere.

11. Qui quòd eam cuſtodiat Pinnoteres vocatur] *Ariſtoteles lib.* v. *περὶ ζώων ἱστορίας· αἱ δὲ πίνναι ὀρθαὶ φύονται ἐκ τοῦ βύσσου ἐν τοῖς ἀμμώδεσι, καὶ βορβορώδεσιν.*

σῖν ἔχουσι δὲ πιννοφύλακα, αἱ μὲν καρίδιον, αἱ δὲ καρκίνιον, οὗ στερισκόμεναι, διαφθείρονται θᾶσσον. *ad quæ verba reſpexit Plinius li.* IX. *cap.* XLV. *cùm ſcribit*: Concharum generis & pinna eſt. naſcitur in limoſis ſubiecta ſemper, nec vnquam ſine comite, quem Pinnoterem vocant, alij Pinnophylacem; is eſt ſquilla parua alibi cancer dapis aſſectator.

IN LIB. IV. DE FINIBVS.

1. Quæ tamen à te agetur nō melior] modo melior *eſt in manuſcripto.*

2. Completur enim & ex eo genere vitæ quod virtute fruitur] finitur *pro* fruitur *habet vetus liber.*

3. Immanitas iſta verborum] inanitas *eſt in antiquo.*

4. Quomodo igitur euenit] *Magis placet* eueniat, *vt eſt in manuſcripto.*

5. Si nihil in eo quidem perficiendum eſt] *Abeſt aduerbium* quidem *à vetere libro.*

6. Hoc igitur quæritis omnes, & ij, qui *&c.*] *Legendum* vt ij, qui *&c.*

7. E Phœnicia profectos] E Pœnicia *puto legendum, vt ſeruetur antiqua ſcribendi ratio, qua* bellum Pœnicium *in ænea tabella inciſum eſt*: *in veteribus etiam libris, huius ſcripturæ veſtigium apparet, qui habent* Poëtica, *corruptè ſcilicet, pro* Pœnicia.

8. Vt haberentur aptæ, habiles & ad naturam accommodatæ] *Pro duobus verbis* aptę habiles, *vnum* optabiles, *habet manuſcriptus.*

9. Quod erit cumq. viſum ages] *Melius* agens, *vt eſt in antiquo. paulò pòſt, pro* iſtud quæſo, *eſt*, iſta inquam, *ſed non ita placet.*

10. Non appello mala, ſed ſi libet, reiectanea] reiecta

iecta *habet liber vetus.*

11. Et quæ bona negarētur eſſe ab eo] vt quæ bona, *&c. vetus liber, & ita planè legendum videtur.*

12. Hæc non videre, cuius generis onus] *Particula* non, *abeſt à manuſcripto, nec ſanè ſententia requirit.*

IN LIB. V. DE FINIBVS.

1. Ita enim Athenis ſe collocauit, vt ſit pænè vnꝰ ex Atticis, vt id etiam cognomine videatur habiturus] *Lego confirmante libro manuſcripto*, vt inde etiā cognomen videatur, *&c.*

2. Cuius accuratè ſcripti de moribus libri, dicūtur illi quidem eſſe Ariſtotelis, ſed non video cur nō potuerit patri ſimilis eſſe filius] *Diogenes Laërtius in Eudoxi Cnidij vita, videtur eius opinionis, & iudicij fuiſſe, vt ſcripti de moribus libri Nicomacho tribuendi eſſent.* φησὶ δὲ αὐτὸν, *inquit,* Νικόμαχος ὁ Ἀριστοτέλους τὴν ἡδονὴν λέγειν τὸ ἀγαθόν.

3. Quoniā vt medicina valetudinis] *Locus ſumptus ex lib. 1. Ethic. ad Nicomachum*: ἰατρικῆς μὲν γὰρ ὑγίεια, ναυπηγικῆς δὲ πλοῖον.

4. Alij cenſent primum aſcitum doloris vacuitatem] non dolere, *pro* doloris vacuitatem, *habet antiquus liber.*

5. Ne ſi etiam euitare poſſet] niſi etiam, *&c. eſt in manuſcripto.*

6. Atqui perſpicuum eſt hominē è corpore animoq. conſtare] *Reſpexit ad locum Ariſtotelis in 1. Politic.* τὸ δὲ ζῶον πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, ὧν τὸ μὲν ἄρχον ἐστὶ φύσει, τὸ δὲ ἀρχόμενον.

7. Animum illi pecudi datum pro ſale ne putreſceret] *Varro lib. 11. de re ruſt.* Suillum pecus donatum à natura dicunt ad epulandum. itaq. his animam

mam datam pro ſale quæ ſeruaret carnem. *Plin. lib.* VIII.*cap.*LI. Hoc maximè brutum, animamque ei pro ſale datam non illepidè exiſtimabatur.

8. Non neceſſe eſt & illa priſtina manere vt tuẽda] *Legendum ex manuſcripto*, non ne neceſſe eſt, & illa priſtina manere tuenda, *&c. & paulo pòſt*, ſic extremum omnium appetendum, *&c.*

9. Vt noſtros poſſis agnoſcere cantus] cognoſcere *habet manuſcriptus: & ita magis placet, vt legatur.*

10. Vt conquieſcere ne infantes quidem poſſint] *Ariſtoteles lib.* VIII. *Polit.* οὐ γὰρ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν.

11. Eaq. cupiditas agendi aliquid adoleſcit vnà cum ætatula] *Ita eſt in manuſcripto pro* ætatibus: *& paulò infra*, ſegnitie, *pro* nequitia: *quam lectionem notauit etiam Morelius.*

12. Quis Paullum Numitorẽ] *Opinor legẽdum* Pullum Numitorium, *de quo in lib.* II. *de Inuentione ſic ſcribit*· Nam in ſenatu & in conſilio de Syphace diu deliberatum eſt, & de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium, & eius conſilium diu dictum eſt. *Liuius Epitome* LX. L. Opimius Pr. Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit. *Aſconius in oratione in L. Piſonem*· Notum eſt, *inquit*, Opimiũ in Prætura Fregellas cepiſſe, quo facto, viſus eſt ceteros quoque nominis Latini ſocios malè animatos repreſſiſſe.

13. Nos tutores miſimus regibus] *Pertinent hæc ad argenteum denarium M. Lepidi, in cuius vna parte turrita imago Ægypti ſignata eſt cum litteris* ALEXANDREA; *in altera inſcriptio*, M. LEPIDVS PONT. MAX. TVTOR REG. EX S. C.

14. Tiberina decurſio] *Vide num huic loco cõueniant*

niant Piſcatorij ludi, de quibus Feſtus meminit in voce Piſcatorij: aut ludi Μαϊούμα, *de quibus mentio eſt apud Sudam.*

15. Acrionem Locros] *Quidam* Eurytum *reponunt, ſed malè: fuit enim* Eurytus Tarẽtinus, *vt ex Diogene intelligitur, apud quem ſcriptum eſt:* τελευταῖοι γὰρ ἐγένοντο τῶν πυθαγορείων, οὓς καὶ Ἀριστόξενος εἶδε, Ξενόφιλός τε ὁ χαλκιδεὺς ἀπὸ θράκης, καὶ Φάντων ὁ φλιάσιος, καὶ Ἐχεκράτης, καὶ Διοκλῆς, καὶ Πολύμναστος φλιάσιοι. καὶ αὐτοὶ ἦσαν δὲ ἀκροαταὶ Φιλολάου καὶ Εὐρύτου τοῦ ταραντίνων.

IN LIB. I. TVSCVL. QVÆST.

1. Annis enim ferè DX. poſt R.C. Liuius fabulã dedit C. Claudio Cæci filio, M. Tuditano Cos.] *In manuſcripto eſt* ICXIV. *pro,* DX. *facilè aũt librarius ex* IↃXIII. *tot enim anni numerantur ad cõſulatum Centhonis & Tuditani, fecit* ICXIV. Centhone *verò habet vetus liber, pro* Cæci filio, *&,* docuit *pro* dedit.

2. Sed vt Ariſtoteles vir ſummo ingenio, ſcientiæ copia] *Hæc duo poſtrema verba non legũtur in manuſcripto.*

3. Animumq. cum corpore extingui] *Hæc verba in veteribus quibuſdã codicibus non inueniuntur: itaq; meritò amicus meus, homo doctiſſimus, è libro ſuo delebat, quaſi eſſent* σχολιαστικῶς *ab aliquo adiecta, qui voluerit præcedentem ſententiam* παραφραστικῶς *exponere.*

4. Si eſt Ariſtoxeni harmonia] *Vetus liber,* Si eſt vt Ariſtoxeni harmonia.

5. Vt viderentur ij qui vita exceſſerant viuere] *Scribendum,* vt viderentur eis qui *&c. ita enim eſt in manuſcripto, & ita omnino videtur legendum.*

6. Quòd nulla gens tam fera, nemo omnium tã

ſit

ſitimmanis] nemo hominum *habet antiquus liber pro*,omnium. *& ita paulo pòſt*,&religione hominum conſecrata,*pro* omnium.

7. Vir magnus leges inſtituta Remp. conſeret] Reip. condet *eſt in manuſcripto quodam libro, rectius aliquanto, quam in vulgatis, ſed non plene ſatisfacit. par pari autem melius reſponderet*, Ergo arbores ſeret diligẽs agricola, quarum aſpiciet baccam ipſe nunquam: vir magnus leges inſtituta, quæ deſeret. *atq. hæc mihi lectio optima videtur.*

8. Qui è vita ceſſerunt] exceſſerint,*pro* ceſſerunt *habet manuſcriptus liber.*

9. Quæ meus amicus Appius *νεκρομαντεῖα* faciebat] *ψυχομαντεῖα ſcriptum eſt in antiquo. Sed vtrunq. verbum putat Petrus Ciacconus abundare.*

10. Pherecydes Syrus] *Videtur ſcribendum* Surius: *ſi quidem σῦρος νῆσος ἐστὶ ἰωνικὴ, vt inquit Strabo lib.* XII. *a qua, τὸ ἐθνικὸν, σύριος.*

11. Siue ignei ſublime ferri] *Vetus codex habet* in ſublime ferri, *quod magis placet, quia ſupra dixit* in cæleſtem locum.

12. Quam quiſque norit artem] *Verſus eſt ex Ariſtophanis Veſpis tranſlatus, nec ab iis, qui prouerbia collegerunt, animaduerſus:*

Ἔρδοι τὶς ἣν ἂν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

13 Animum & videre & audire] *Videtur reſpexiſſe ad Menandri ſententiam, quæ circumfertur,* νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει.

14. Laomedonti tãta fieret iniuria] Troi, *pro* Laomedonti *erat ſcribendum: ſed fuit* Ciceronis *μνημονικὸν ἁμάρτημα.*

15. Diuina mallem ad nos] *Ariſtoteles, lib* I. *Eth. ad Nicomachum.* ἢ ἐκ τῶν περὶ τοὺς θεοὺς ἐπαίνων· γελοῖοι

γὰρ

γὰρ φαίνονται πρὸς ἡμᾶς ἀναφερόμενοι.

16. Quam vocant Græci αντιξωνα] *Nuſquam, quòd meminerim, hæc vox reperitur. itaq. placet Petro Ciaccono, vt pro ea ἀντίχθονα reponatur. Plutarch. lib. III. De placitis philoſophorum cap. IX.* θάλης καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ μίαν εἶναι τὴν γῆν· οἰκέτης ὁ πυθαγόρειος, δύο: ταύτην, καὶ τὴν ἀντίχθονα. *& Ptolemæus, Plinius, Mela, & alij eius ora incolas antichthonas appellant.*

17. Vellem adeſſe poſſet Panætius: vixit cum Africano. quærerem ex eo] *Aliter in manuſcripto legitur hic locus:* vellem adeſſet Panætius: quærerem.

18. Priamum autem tanta progenie orbatum, cùm in aram confugiſſet, hoſtis manus interemit] *Ariſtoteles lib. I. Eth. ad Nic.* καὶ ἐνδέχεται τὸν μάλιστα εὐθηνοῦντα μεγάλαις συμφοραῖς περιπεσεῖν ἐπὶ γήρως, καθάπερ ἐν τοῖς ἡρωϊκοῖς περὶ πριάμου μυθεύεται.

19. Non liberi defleti] *Antiquus liber manuſcriptus habet* deleti, *quod minus placet: placeret magis* eiecti, *ſcilicet à fortunis.*

20. Ad non dubiam mortem concurrerunt] cucurrerunt *magis placet, vt eſt in antiquo.*

21. Perempto. at id ipſum odioſum eſt, ſine ſenſu eſſe odioſũ. *Ita habet Manutius, quod poteſt quidem defendi: nõ enim ſemper cõtradicit Auditor Marco, ſed aliquando ipſe ſibi Marcus obiicit. ſed lõgè melius habet meus liber manuſcriptus:* Perempto. A. at id ipſum odioſum eſt ſine ſenſu eſſe. M. odioſum. *Quid autem opus eſt dialogo, ſi quis velit ſibi obiicere?*

22. Neſcio quando in Latmo obdormiuit] *Aduerbium* quando, *Antonius Auguſtinus mutat in* quo modo: *& illa verba quæ ſequuntur*, Qui eſt mons Cariæ, *putat eſſe ſcholium Grammatici alicuius.*

23. Cùm in eius ſimulacro videas eſſe nullum

ſenſum

ſenſum] *Abeſt vox* ſenſum *ab antiquo, & rectè, vt opinor.*

24. Pro rata parte, aut longa, aut breuia dicũtur] *Poſt vocem* parte *in manuſcripto legitur* auita: *quod verbum mendoſum eſt, & pro eo reponendum fortaſſe,* in vita.

25. Pendemus animis] animi, *rectius in manuſcripto.*

26. Hodie apud inferos fortaſſe cenabimus] *Cũ apud Græcos ſcriptores, qui hoc Leonidæ dictum celebrarunt, reperiatur ſcriptum* ἀριστήσομεν, *quod eſt prandebimus; non eſt cur quiſquam Ciceronem reprehẽdat, qui verterit* cenabimus: *reſpexit enim, (vt opinor) ad Romanorum morem, qui ſoliti erant cena vti, pro prandio. itaq. concenationes alibi appellauit ea cõuiuia, quæ Græci* συμπόσια, *ſiue vt certius dicam,* σύνδειπνα *nominarunt.*

27. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectę perfecto functus eſt munere] *Totum hoc reiicit Ant. Auguſtinus, quod arbitratur primum ab inepto aliquo Grammatico, in margine libri, ad ſignandam Ciceronis ſententiam eſſe notatũ, deinde in ſeriem ab imperito librario fuiſſe receptum.*

28. Simili precatione Trophonius, & Agamedes] *Plutarchi verba quæ leguntur apud Stobæum, faciunt ad hunc locũ.* Τροφώνιος καὶ Ἀγαμήδης, ποιήσαντες ἐν Δελφοῖς ναὸν, ᾔτουν παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος τὸν μϊσθὸν, ὁ δὲ αὐτοῖς δώσειν ἔφη τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ, καὶ ταύτῃ ἀπέθανον. ἔτι δὲ Κλέοβις καὶ Βίτων κυδίππης τῆς μητρὸς αὐτῶν εὐξαμένης τῇ Ἥρᾳ δοῦναι τοῖς παισὶν, ὅπερ ἂν εἴη κάλλιστον, ὅτι ἑαυτοὺς ὑποζεύξαντες τὴν μητέρα εἰς τὸ ἱερὸν ἀνήγαγον, τὸν βίον παραχρῆμα κατέστρεψαν.

29. Euthymus potitur fatorum munere læto]

Magis placet, vt eſt in manuſcripto, Euthynous potitur fatorum numine, letho.

30. Rebus à diis immortalibus iudicatam] *Scriberem libentius* iudicatis, *vt habet liber manuſcriptus.*

31. Alcidamus quidam Rhetor antiquus in primis nobilis] Alcidamas *ſcribendũ eſt auctoribus Græcis ſcriptoribus, & vetere quoq. Alcidamantis imagine ex marmore, cui ſubſcriptum eſt*, ΑΛΚΙΔΑΜΑϹ.

32. Repetunt ab Erichtheo] Erechtheo *ſcribendum ex Apollodoro, qui lib.* IV. *ita de hac re narrat*: Ἐρεχθεῖ δὲ ὑπὲρ Ἀθηναίων νίκης χρωμένῳ ἔχρησεν ὁ θεὸς κατορθώσειν τὸν πόλεμον, ἐὰν μίαν τῶν θυγατέρων σφάξῃ, καὶ σφάξαντος αὐτοῦ τὴν νεωτάτην, καὶ αἱ λοιπαὶ ἑαυτὰς κατέσφαξαν· ἐποιήσαντο γὰρ συνωμοσίαν ἀλλήλαις συναπολέσθαι. Menoeceus *etiã paulo pòſt, pro* Menœcheus *ex eodẽ ſcriptore corrigendum. Ex eo autem, quod ſuprà dixit Cicero, tres verſiculos Elyſio in tabellis fuiſſe datos, colligere poſſumus, reſponſa in tabellis ab oraculo dari ſolita fuiſſe: quod confirmatur huiuſmodi quadã apud me antiquiſſima tabella ex ære, in qua inciſum eſt*, Nunc me rogitas: nunc conſulis: tempus abit iam.

33. Melior Ennij, quàm Solonis oratio] melius Ennij quàm Solonis elogium, *eſt in manuſcripto.*

IN LIB. II. TVSCVL. QVÆST.

1. Sed vltro appetendus, ſubeundus, excipiendus dolor] *legendum ex antiquo*, ſed etiam non vltro appetendus, &c. *Petrus tamen Ciacconus*, quiuis eſt non modo, &c. *putat legendum ſine interrogationis nota.*

2. Vnde ignis lucet] *Ita legit Manutius. Faërnus tamẽ pro* lucet, *habet* cluet: *& infra* clepſe *pro* clepſiſſe. *Pantagathus autem ita hos verſus interpungebat*:

Dolorem

Dolorem quem percipit ob furtum Lemnium:
Vnde ignis lucet mortalibus clam diditus:
Eum Prometheus clepſiſſe eſt dictus dolo
Pœnasq̀. Ioui fato expendiſſe peſſimo.

3. Tuq́ue in ea intueberis] *Ant. Auguſtinus*, tuq́ue in eam, *legit: at ea ſunt honeſtas, dignitas, decus.*

4. Aut Philoctetam illum quam te enim malo dicere: ſed ille certè non fortis qui iacet, &c.] *Ant. Auguſtinus delet aduerbium* aut: *Pantagathus autē retinet; qui totum hunc locum ita legebat*: Aut Philoctetam illum aut me. malo dicere de illo. M. certè fortis qui iacet in lectulo humido.

5. Medicum requirens modo] requirit *legitur in antiquo, & melius.*

6. Inde pugiles ceſtibus contuſi] nudi *pro* inde *videtur legendum, quomodo emendauit Ant. Auguſtinus, ſiue ex ingenio, ſiue ex auctoritate veterum librorum.*

7. Ageſis] *Ita olim correxit Faërnus. Ant: autem Auguſtinus ex corrupto verbo* Agapetis, *quod eſt in libris manuſcriptis, fecit* Atageſis.

8. Sit ne igitur malum dolor, &c. volunt nō eſſe malum dolorem] *Petrus Ciacconius putat vocem* dolorem *otioſam eſſe. paulo pòſt ita legendum*, Falſaque eius viſione & ſpecie moueri homines duco vehementius vimq̀. eius omnem eſſe tolerabilem.

9. Quoniam à viris virtus nomen eſt mutuata] *Nonnulli veteres libri hæc verba non habent: Itaq. facilè adducor vt credam fuiſſe ab aliquo σχολιαστικῶς addita.*

10. Si te fortè dolor aliquis peruellerit] perculerit *habet manuſcriptus liber.*

11. Vt nobis metipſis imperemus] *Videtur re-*

ſpexiſſe ad Homericum illud de Vlyſſe, τέτλαθι δὴ κραδίη.

12. Toto corpore, atq. omnibus vnguiculis] *Ita legitur in antiquo pro* vngulis.

13. Non quo fugiendus ſit] non quod fugiendus, *vetus liber*: *& paulo pòſt*, nequeunt, *pro* non queunt.

14. Si tanti non ſint, vt ferendi ſint] *Ego mallem*, ſi tanti ſint, vt ferendi non ſint.

IN LIB. III. TVSCVL. QVÆST.

1. Ea virtuti reſonat, tanquam imago gloriæ] *Abeſt vox* gloriæ, *ab antiquo*: *& rectè. Varro in li.* III. *De re ruſtica, cap.* XVI. *eodem modo de apibus dixit.* Primum ſecundum villam, potiſſimum vbi non reſonent imagines. *has* ἤχους *appellari Columella ſcribit.*

2. Qui hæc rebus nomina poſuerunt] impoſuerunt, *puto rectius, vt eſt in manuſcripto.*

3. Infamiam enim cenſuerunt, id eſt inconſtantiam ſanitate vacantem] *Vox* id eſt, *non legitur in antiquo.*

4. Atq. in quem cadit ægritudo] atqui, *vetus codex.*

5. Quid illum filium Solis] *In antiquo eſt*, quid? Æeta filium Solis, &c.

6. Lacrymæ peredere humore exangues genas] *variè legitur hic verſus in manuſcriptis*: *in vno enim eſt*, Lacrymis hument exangues genæ ſitu liuentes; *in altero*, Lacrymæ perdidere humorem, &c.

7. Opinione mali ægritudinem eſſe, non natura] *Manutius ex ingenio addidit*, non, *quod deeſt in antiquis. mihi magis placet, vt habet manuſcriptus*, opinione mali ægritudinem eſſe natam. *ex voce enim*

natam,

natam, *imperitus librarius fecit*, natura.

8. Ergo hoc Terentius à philoſophia ſumptum tam commodè dixerit] *Ita legendus hic locus ex manuſcripto, à quo abeſt*, cum, *& rectè*.

9. Si verò aliquid etiam tum planè luctum omnem abſterſeris] *Amicus meus homo doctiſſimus mauult vt legatur*, ſi verò aliquam admoueris, luctum planè abſterſeris: *aut*, ſi verò amorem admoueris, luctū planè abſterſeris. *Sed vulgata lectio magis placet, qua Tullius verecūdiſſimè, &* κατὰ ἀποσιώπησιν, *quæ turpia erāt notauit* τὰ ἀφροδίσια, *quò inuiſiórem redderet Epicurum, ob impudentiam.*

10. Ex opibus ſummis opis egens Hector tuæ] Hecuba *pro* Hector, *ſcriptum eſt in antiquo, & ita magis placet.*

11. Quóve nunc auxilio, aut fuga] exilio *habet manuſcriptus, & rectiùs, vt opinor. paulo pòſt*, deformati auro atque abiete criſpa, *in vulgatis deeſt vox* auro. *infra*, auro eboreq́. inſtructum regificè, *pro*, auro ebore inſtructam regificè, *quod non ita placet.*

12. Exaggeratis igitur regis opibus] regiis *habet antiquus liber*: & adiungitur *pro*, quid adiungit.

13. Cedrum incendamus] *Ita pro* Hedrychum *repoſitū eſt à doctiſſimis viris. quid ſi ex* Hedrychum *faciamus* cedrum ac thyum? *indicantibus libris veteribus correctionem, & confirmante Homeri verſu, ex Odyſſea* v.

14. Quàm ipſos Corinthios] *Ego malim*, quàm ipſi Corinthij, *cuius ſcripturæ veſtigiū apparet in vetuſtis etiam exemplaribus.*

15. Quaſi ſolutionem totius hominis appellatā putat] *Ariſtoteles lib.* III. *Eth.* καὶ ἡ μὲν λύπη ἐξίστησιν, καὶ φθείρει τοῦ ἔχοντος φύσιν.

 16. Rectum

16. Rectum eſſe & ad officium pertinere] *Ita legitur in libris veteribus.*

17. Quòd is ſeptimo die poſt filiæ mortem hoſtias immolaſſet] *Æſchines in oratione* κατὰ Κτησιφῶντος· Ἑβδόμην δ᾽ ἡμέραν τῆς θυγατρὸς αὐτῷ τετελευτηκυίας, πρὶν πενθῆσαι, καὶ τὰ νομιζόμενα ποιῆσαι, στεφανωσάμενος, καὶ λευκὴν ἐσθῆτα λαβών, &c.

18. Vt nos quoq. idem ab aliis requiramus] ab illis *magis placet, vt legitur in manuſcripto.*

19. Nam & qui non leuantur, ipſi alios ad miſeriam inuitant] *Ita Manutius, malè prorſus: nam qui non admittit conſolationem, non ſtatim dicendus eſt inuitare alios ad miſeriam. Victorius*, ipſi ad miſeriam inuitant, *malè: culpa librarij. Meus manuſcriptus rectè*, ipſi ad ſe miſeriam inuitant: *quòd non minus eſt ſtultum vltro accerſere ſibi malum, quàm aliorũ vitia cernere, obliuiſci ſuorum.*

20. Quid autem præclarum quod non idem arduum] *Ita eſt in manuſcripto: in vulgatis autem deeſt* quod, *ſententia alioqui poſtulante.*

IN LIB. IV. TVSCVL. QVÆST.

1. Comitia, prouocationes, patrum conſilium] *Verbum* prouocationes, *mihi quidem ſuſpectum eſt, & iure, vt arbitror: nam non puto inuitis regibus potuiſſe prouocari ad populum. Fortè* prenſationes *in comitiis creandi regis, aut cuiuſuis inferioris magiſtratus, ſi id ius erat à populo petere. Omnino* prenſationes *ſunt cognata comitiis, quibus tanquam rudimenta quædã legum de ambitu adhibitus debuit eſſe aliquis modus inſtituto regio, aut etiam lege.*

2. Et cantus tum fuiſſe reſcriptos vocum ſonis, & carmina] *Mallem* deſcriptos, *quia propriè, & parũ remotè à littera, reſpondetq; Græco verbo* ἀναγεγραμμένους.

mus. Sed quo modo vocum ſonis? *an ſoni in tabulas referebantur? itaq. placebat Pantagatho, vt pro* ſonis, *legeretur* notis.

3. Niſi fortè temporis cauſa aſſentiebare] *Poſt vocem* cauſa, *in antiquo eſt*, noui, *ſine dubio corruptè, pro* nobis.

4. Non quia ſemper, ſed quia ſæpe ſint] *Abeſt ab antiquo libro verbũ* ſint, *quod eſt ſecundo loco poſitum.*

5. Ergo inuidi & maleuoli, & liuidi] *Ita eſt in antiquo, cùm in aliis deſit coniunctio*, &, *poſt vocẽ* maleuoli, *quæ neceſſaria videtur.*

6. Corporis temperatio cum ea congruunt] *Ita eſt in vulgatis: liber manuſcriptus habet*, ſicut enim corporis temperatio, &c. *quæ videtur melior lectio. ſed cùm addantur duo verba, minusq́; ſit tranſponere verba, quàm addere, ita legerim*: Sunt enim in corpore valetudo, pulchritudo, vires, velocitas: ſunt item in animo. præcipua corporis temperatio, cùm ea congruunt inter ſe, è quibus conſtamus: ſanitas ſic animi dicitur.

7. M. Alienum] Allienum *duplici* ll. *ſcribẽdum eſt auctoribus antiquis denariis.*

8. Prœlium cùm reſtituit inſaniens] *Petrus Ciacconus exiſtimat hoc totum additamentum eſſe.*

9. Illum enim putas omni perturbatione eſſe liberum te vis] *Ant. Auguſtinus delet poſtrema verba* te vis. *in manuſcriptis eſt* liberum, vis videamus.

10. Vt etiã ſi nec mala ſint illa quę metum ægritudinémue, nec bona, quę cupiditatem] *Hic locus aliter legitur in antiquo, in quo ita ſcriptum eſt*: vt etiã ſi mala ſint illa quæ metum ægritudinémue: bona, quæ cupiditatem.

11. Tanquam clauum clauo] *Ariſtoteles lib.* IV.

Polit. ἥλω γὰρ ὁ ἧλος ὥσπερ ἡ παροιμία.

IN LIB. V. TVSCVL. QVÆST.

1. Peccanti immortalitati] *Amicus meus putat legendum*, peccantis *pro* peccanti.

2. Ita nos, quaſi in mercatum quadam celebritate ex vrbe aliqua] *Ita ſcriptum eſt in antiquo, cùm in aliis ſit* item, *&*, mercatus.

3. Partim ſoliuagas, partim congregatas: immanes alias, quaſdam autem cicures] *Videtur trãſtuliſſe Ariſtotelis illa ex Politicis*· τῶν δὲ θηρίων τὰ μὲν ἀγελαῖα, τὰ δὲ σποραδικά. *& paulo pòſt*· τὰ μὲν ἥμερα, τὰ δὲ ἄγρια.

4. Non qui parua non metuit, ſed qui omnino metu vacat] *Ita legi debet hic locus, cùm in aliis deſit*, non.

5. At enim eadem Stoici præcipua, vel producta dicunt, quæ bona iſti: illi quidem ſine iis vitam beatam compleri, hi autem ſine iis eſſe nullam putant] *Ita legitur hic locus in manuſcripto.*

6. Prçceptum illud Atrei] *Pro* Atrei *in manuſcripto ſcriptum eſt*, antiquum.

7. Seta equina appenſum] actum *pro* appenſum *eſt in vetere libro manuſcripto, vt dubium nõ ſit, quin* aptum *legi debeat.*

8. Adhuc neminem cognoui Poëtam (& mihi fuit cum Aquinio amicitia) qui ſibi non optimus videretur] *Eadẽ ſententia vſus eſt in epiſtola quadam ad Atticum lib.* XIII. Nemo vnquam Poëta neq. Orator fuit, qui quenquam meliorem ſe arbitraretur. *Ariſtoteles lib.* IV. *Eth.* πάντες γὰρ ἀγαπῶσι τὰ αὑτῶν, ὥσπερ οἱ γονεῖς, καὶ οἱ ποιηταί. *pro* Aquinio *autem vidi notatum in quodam libro*, cum aliquibus.

9. Eſt

9. Eſt enim ad portas Agragianas] Achradinas *habet vetus liber.*

10. Tum maximè ingenua delectatio & digna ſapientia] ſapiente *ſcriptum eſt in antiquo, & ita videtur rectius.*

11. Honoris cauſa, laudis ſtudioſi gloriæ cauſa] *Ita eſt in vulgatis: Ego ſecundo loco delerem* cauſa: *quã lectionem confirmant ea quæ ſequuntur.*

12. Nos illud quidem] *vel* illius, *vel* illorum *videtur legendum.*

13. Altera omnis tempeſtatis calamitate ſemper vacet] *Longè melius legitur in manuſcripto* omni *pro* omnis, *&* vacat *pro* vacet.

14. Eos ipſos inuentorum ſuorum memoria, & recordatione confutat] compenſat *habet manuſcriptus pro* confutat.

15. Quàm multa non deſidero] *Reſpexit ad Socratis illud, quod refert Diogenes,* πόσων ἐγὼ χρείαν οὐκ ἔχω.

16. Genus hoc voluptatum optabile eſſe, ſi non obſit, prodeſſe non nunquam] *Ita legit amicus meus hũc locum, cùm in vulgatis deſit particula* non. *Optabile autem dicunt Græci* ἀγαπητὸν. *Ariſtoteles li.1. Eth.* ἀγαπητὸν γὰρ καὶ ἑνὶ μόνῳ. *Significat enim bonum illud, quod qui conſecuti ſunt, eo contenti viuere poſſunt.*

17. Cum expectationi ſperatarum] ſperatæ, *Ant. Auguſtinus. quod ſi* expectatio *retineatur, vt habet Victorius; melior lectio erit, ſi* memoriæ *legatur, pro* memoria.

18. Negauit ſe iure illo nigro] *Plutarchus in Lycurgo.* τῶν δ' ὄψων εὐδοκιμεῖ μάλιστα παρ' αὐτοῖς ὁ μέλας ζωμός.

19. Opulentiſſimi Syriæ regis] *Scribendum* Aſſyriæ.

rix. atq. hoc ipſum epigramma quod refert Cicero, ἀσσυρίοις γράμμασιν ſcriptũ fuiſſe, Græci ſcriptores tradunt.

20. Neque me quiſquam ibi agnouit] *Delenda particula* ibi, *quæ non eſt in veteribus libris: atq. hanc ſcripturam confirmant Græca etiam verba apud Laërtium*: ἦλθον γάρ φησι πρὸς Ἀθήνας, καὶ οὔτις με ἐγίνωσκε.

21. Et videbat in litteris] *Liber vetus habet*, viuebat. *ſed non placet: verbum enim* videbat *ad Aufidij cæcitatem refertur.*

22. Si liceat quod quibuſdam Græcis quotidie] *Ita habent libri vulgati, nec malè: alij*, ſi libeat, *nõ ſatis bene: Quid enim ſi libeat, nõ liceat autem? vt* liceat *hîc ſignificet cõcedatur, vt ipſe docuit ſuprà. Quòd autem quidam putant locum adhuc reſtare mendoſum, videndum num pro* quotidie *aptius ſit* quiritare.

23. Epicurei noſtri Græcè fari neſciũt, nec Græci Latinè] *Faërnus pro* Epicurei *legẽdũ putabat* Opici: *quæ mihi lectio optima videtur. Notum autem eſt cùm ex Strabone, tum ex aliis, Opicos Campaniæ populos fuiſſe.*

24. Aut bibat, inquit, aut abeat] *Alluſit ad Græcum illud*, ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι.

25. Quod ſi iis Philoſophis, quorum ea ſentẽtia eſt] *Ita eſt in vulgatis, ſatis imperfectè. Ego mallem*, quod ſi ij Philoſophi. *& infra*, dicãt attamẽ ſemper.

26. Ad philoſophicas ſcriptiones] philoſophas *legitur in antiquo: & Plato*, φιλόσοφον φύσιν *dixit, hoc eſt, naturam philoſophicam.*

IN LIB. I. DE NATVRA DEORVM.

1. Vt magno argumento eſſe debeat prudenter Academicos à rebus incertis aſſenſionem cohibuiſ-

ſe]

ſe] *Ita legitur hic locus in manuſcripto,cùm in aliis ſit*, Vt magno argumēto eſſe debeat,cauſam,id eſt, principium philoſophiæ,eſſe ſcientiam,prudenterq́. Academicos &c.

2. Et quo omnes duce natura vehimur] *Vide nũ melius ſit* venimus, *vt eſt in antiquo, pro* vehimur: *quamuis ad verbum* duce *aptius ſit* vehimur.

3. Dubitare ſe Protagoras] *Diogenes in Protagora*. περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, εἴθ' ὡς εἰσὶν, εἴθ' ὡς οὐκ εἰσίν· πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥτε ἀδηλότης, καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου. διὰ ταύτην δὲ τὴν ἀρχὴν τοῦ συγγράμματος ἐξεβλήθη πρὸς Ἀθηναίων, καὶ τὰ βιβλία αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ.

4. Vt alia ex aliis nexa] *Vetus liber habet, vt* aliæ ex aliis nexæ.

5. Non enim tam auctoritatis in diſputando, quàm rationis momenta quærenda ſunt] auctores *ſcriptum eſt in antiquo,pro* auctoritatis.

6. Contra omnia diſſerendi] *Illuſtrant hunc locum Diogenis verba,quæ leguntur in Arceſila*: Ἀρκεσίλαος, ὁ Ἀρκεσίλαος Πιταναῖος τῆς Αἰολίδος, ὁ τῆς μέσης Ἀκαδημίας κατάρξας πρῶτος, ἐπισχὼν τὰς ἀποφάσεις διὰ τὰς ἐναντιότητας τῶν λόγων. πρῶτος δὲ καὶ εἰς ἑκάτερον ἐπεχείρησε, καὶ πρῶτος τὸν λόγον ἐκίνησε τὸν ὑπὸ Πλάτωνος παραδεδομένον, καὶ ἐποίησε δι' ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως ἐριστικώτερον.

7. Vt Statius in Synephebis] vt ille in Synephebis, *eſt in manuſcripto.*

8. Omnem totius orbis deſignationem] operis, *pro* orbis *habent manuſcripti aliquot libri* : *quæ mihi lectio magis placet, ob ea quæ præcedunt* miniſtros, machinas,&c.

9. Nullo modo viderunt animi naturam intelligentes] videntur *ſi legas, vt eſt in manuſcripto*, *ſenſus*

ſenſus patebit apertius.

10. Eosq. innumerabiles eſſe mundos] *Abeſt à manuſcripto codice vox* mundos, *quam opinor gloſſema eſſe.*

11. De ipſa quidem mente] *Ita legitur in antiquis codicibus, & rectè: ſequitur enim aduerbium,* autem.

12. Commenticium quiddam coronæ ſimilitudine efficit] *In manuſcripto eſt*, commenticiũ quiddam coronæ ſimile effecit.

13. Ariſtoteles quoq. in tertio de Philoſophia libro] *Ariſtotelem tres De philoſophia libros ſcripſiſſe tradit Diogenes, de quibus* ἐν τῷ περὶ ψυχῆς *ſit etiam ab ipſo Ariſtotele mentio.*

14. A magiſtro Platone vno diſſentiens] *Manutius ex* vno, *fecit* non: *in manuſcripto eſt*, ſuo: *vt fortaſſe legendum ſit*, à magiſtro ſuo Platone diſſentiẽs.

15. Vt Tragici Poëtæ] *Sumpſit hanc comparationem à Platone, cuius verba ſunt ex Cratylo,* εἰ μὴ ἄρα δεῖ ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοὶ ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς ἀποφεύγουσιν.

16. Coryphæum appellare Epicureorũ ſolebat] Κορυφαῖον *eſt in vetuſtiſſimo, eodemq́; optimo libro: atq. ita legendum puto.*

17. Quod non modò philoſophia dignum eſſet] ſit *pro* eſſet *legendum ex antiquo libro.*

18. Alia aſpera, alia rotunda, alia autem partim angulata & pyramidata, quædam curuata & quædã quaſi adunca] *Ita legitur hic locus in manuſcriptis, cũ in vulgatis deſit vox* pyramidata.

19. Sed hunc Platonicum mirificè contemnit Epicurus] ſed hunc & Platonem, *habent libri manuſcripti.*

20. Quod

20. Quod ſi fingere nobis] *ἀφομοιοῦν Græci dicunt. Ariſtoteles lib.* 1. *Pol.* ὥσπερ καὶ τὰ εἴδη ἑαυτοῖς ἀφομοιοῦσιν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ τοὺς βίους τῶν θεῶν, &c.

21. Mortalis viſus] viſuſt *habet manuſcriptus liber, quod placet..*

22. Ergo alia ſpecies Iunonis Argiuis, alia Lanuinis, alia nobis] *Ita legendus hic locus ex auctoritate vetuſtiſſimi libri, cùm in vulgatis deſint duo poſtrema verba,* alia nobis, *& pro* Laniuinis, *ſcriptum ſit* Latinis. *colebatur autem Laniuij Juno Soſpita cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceolis repandis, cuiuſmodi in denariis L. Roſcij Fabati, & L. Thorij Balbi, qui Laniuini fuerunt, ſignata reperitur.*

23. Iſtis ne fidentes ſomniis] videntes *pro* fidētes, *habet antiquus liber, non malè: vt* EIDENTES *videatur ſcriptum fuiſſe in antiquioribus, antiqua ſcribendi ratione, qua* TERMINAEIT DIEI F. *& alia ſimilia in veterum monumentis reperiuntur.*

24. Auſa ſit] *ſcribendum* auſit, *ex manuſcripto.*

25. De M. Octauio deferentem Sitellam] *De Sitella, in quam ſuffragia coniiciebantur, mentio eſt in lege Seruilia, cuius extant apud me fragmenta quædam.* Eamq. ſortem.ex.hace.lege.apertam.bracioq.aperto litteram.digiteis.opertam.palam . . . vndai cauſa.ad.ſitellā.ſorti.veniet is.in.eam.ſitellam.manum.demittito.tam.deuexam.populo.&c.

26. Sed ea conſeruent quæ ſunt] *Videtur legendum,* ſed ea quæ conſeruent, quæ ſunt.

27. Qui ea quæ prodeſſent hominum vitæ, deorum in numero habita eſſe dixit] *Reſpexit ad Græca illa,* ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ δαιμόνιον, *&,* θεοὶ δωτῆρες ἐάων.

IN LIB. II. DE NATVRA DEORVM.

1. P. enim Vatienus] Vatinius *eſt in veteribus libris,*

bris,& ita legendum cum hîc,tum apud Valeriũ Maximum libr. VIII. *cap.* VIII. *& Lactantium lib.* II. *cap.* VIII. *itaq. in Faſtis ex hac emendatione,& ex verbis quæ ſequuntur*, Auus huius adoleſcentis, *addendum erit* P. N. *vt integra inſcriptio ſit*, P. V. ATINIVS P. F. P. N.

2. Primus rogatorum vt eos retulit] rogator *habet liber manuſcriptus.*

3. Tuditano & Aquillio Cos.] *Vetus liber* M. Tuditano, & Ap. Claudio Cos. *Sed huius lectionis veritas ex hiſtoria petenda eſt.*

4. Euulſum] euolſum *eſt in vetuſtiſſimo libro, & ita legit Quinctilianus.*

5. Quæ æneis efferueſcunt ſubditis ignibus] *Ita legitur in manuſcripto,cũ in vulgatis deſit vox* æneis, *quæ tamen poteſt eſſe alicuius ſcholium.*

6. Quæ non ſit minor] minoris *vetus liber, quod placet: ſequitur enim*: ſic mundum vniuerſum pluris eſſe neceſſe eſt.

7. Minimeq. reſipiens patriam] *Ita legitur in manuſcripto,pro* reſpiciens; *& ita omnino legendum: eſt enim* reſipere, *redolere & præ ſe ferre.*

8. Continuas conuerſiones duas] ſui *pro* duas *amicus meus legendum putat.*

9. Tum abeunt tum recedunt] *Emendandum ex antiquo libro*, tum adeunt tum recedunt.

10. Qui tenero terram circumuectu amplectitur] circumiectu *habet liber manuſcriptus, quod magis placet, confirmantibus Græcis Euripidis verſibus, vnde tranſlati ſunt Latini, quos hîc adducit Cicero:*

Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τὸν δ' ἄπειρον αἰθέρα,
Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις,
Τοῦτον νόμιζε ζῆνα, τὸν δ' ἡγοῦ θεόν.

11. Et

11. Et plena ſunt futilitatis, ſummæq. leuitatis] vanitatis *habet liber manuſcriptus, pro* futilitatis.

12. Qui qualesq. ſunt] *Lambinus* ſint: *à vetere autem libro id verbum abeſt.*

13. Anum fatidicam Πρόνοιαν induci, id eſt prouidentiam] *Hæc tria poſtrema verba*, id eſt prouidẽtiam, *non ſunt in vetere libro. olent autem ſine dubio gloſſema ab imperitis librariis in ſeriem receptũ. Quod autem ſequitur*, velut heſterno die, *vel Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα, vel librarij lapſum eſſe credẽdum eſt. nõ enim heſterno die* Velleij *diſputatio cum Cotta inſtituta fingitur, ſed eodem. atq. in ipſo ſecundi libri initio ita contexitur dialogus, vt nullus dies interceſſerit inter* Epicureorum *& Stoicorum confutationem. Idem error eſt in illis lib.* III. Quæ à te nudius tertius dicta ſunt: cùm docere velles deos eſſe. *ſunt autem verba Cottæ ad Balbum, quæ nõ nudius tertius, ſed eodem die fingũtur eſſe dicta. credi poteſt Ciceronem in animo habuiſſe tribus libris trium dierum diſputationem referre voluiſſe: mox id mutaſſe, relictis prioris cogitationis veſtigiis.*

14. Quod & Democritus ſimulacra & Epicurus imagines inducens] *nomen* Epicurus *non legitur in manuſcripto, & certè videtur abundare.*

15. Hunc circum ἄρκτοι duæ] Arctoe *habet vetuſtiſſimus codex, & rectè: eodem enim modo* Adelphoe *apud Terentium, &* Canephoroe *alibi ſcriptum reperitur.*

16. At capra læuum humerum claro obtinet] humero *ſcriptum eſt in veteribus libris.*

17. Et magis horriferis] horriſonis *vetus liber.*

18. Extremam nitens] extremum *habet antiquus codex.*

19. Huic

19. Huic autem continens aër fertur] circumfertur *eſt in antiquo.*

20. Quæ æther] ætherea *eſt in manuſcripto.*

21. Platalea nominetur] Platea *appellatur ab Ariſtotele lib.* VIII. *cap.* XII. *& Plin. lib.* X. *cap.* XL. *vt fortaſſe hic quoq. ita ſcribendum ſit.*

22. Dum poſſint ſe ipſa defendere] *Ariſt. lib.* I. *Pol.* τὰ μὲν συνεκτίκτει τῶν ζώων τοσαύτην τροφὴν, ὡς ἱκανὴν εἶναι μέχρις οὗ δύνηται αὐτὸ αὑτῷ πορίζειν τὸ γεννηθέν.

23. Quæ ſunt infra id quod deuoratur] *Aliter legitur hic locus in manuſcriptis:* quæ ſunt infra, in quas id quod deuoratur deſcendit. *paulo pòſt antiquus idem liber habet,* eademq. à pulmonib. reſpiret, & redeat.

24. Quæ conſtant ferè è neruis] *Legendum* conſtat, *vt eſt in manuſcripto, vt ad* aluum *referatur.*

25. Tum ſpiritu dilatant] *Deeſt,* ſe, *quod eſt in antiquo,* tum ſe ſpiritu &c.

26. Ad eaſq. portas iecoris] *Ita eſt in manuſcripto pro,* ad eaſdemq.

27. Et quaſi corneolos habẽt introitus] corneos *legitur in manuſcriptis.*

28. Arborum autem confectione] ὑλοτομίαν *appellat Ariſtoteles lib.* I. *Pol.*

29. Deorum atq. hominum putanda ſunt] *Videtur reſpexiſſe ad locum Ariſtotelis, qui eſt in lib.* I. *Pol.* ὥστε ὁμοίως δῆλον, ὥστε καὶ γενομένοις οἰητέον τά τε φυτὰ τῶν ζώων ἕνεκεν εἶναι, καὶ τὰ ἄλλα τῶν ἀνθρώπων χάριν, τὰ μὲν ἥμερα καὶ διὰ τὴν χρῆσιν, καὶ διὰ τὴν τροφήν. τῶν δὲ ἀγρίων εἰ μὴ πάντα, ἀνὰ τά γε πλεῖστα τῆς τροφῆς, καὶ τῆς ἄλλης βοηθείας ἕνεκεν, ἵνα καὶ ἐσθὴς, καὶ ἄλλα ὄργανα γένηται ἐξ αὐτῶν. εἰ οὖν ἡ φύσις μηθὲν, μήτε ἀτελὲς ποιεῖ, μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν.

30. Victum

30. Victum domitumq. iuuencum] vinctum *habet antiquus liber, eamq́ lectionem confirmant ea qua* περὶ βοὸς ἀροτῆρος *cecinerunt Græci Poëtæ.*

IN LIB. III. DE NATVRA DEORVM.

1. Ex portentis & monſtris Sibyllæ interpretes] *Antiquus liber manuſcriptus habet* monitis, *pro* mõſtris: *quæ lectio poteſt retineri, quamuis magis ſatis faciat vulgata, ſi ita interpungatur,* Ex portentis & mõſtris, Sibyllæ interpretes &c.

2. Sæpe dixi] dixti *legendũ, vt eſt in manuſcripto.*

3. Qui quoniam quid diceret intelligi noluit] *in manuſcripto eſt*, qui quoniam diceret quod intelligi noluit. *& paulo pòſt,* omnia vnũ eſſe ignem, *pro* omnem vim eſſe ignem.

4. Prudentiam ne Deo tribuemus] *Vertit locum Ariſtotelis ex libro* x. *Ethic.* πράξεις δὲ ποίας ἀπονεῖμαι χρεὼν αὐτοῖς, πότερα τὰς δικαίας &c.

5. Vt capram, vt lupam] Nepam, *pro* lupam *habet antiquus liber, & rectè: nec enim lupæ ſimulacrum inter ſidera relatum fuiſſe apud ſcriptores reperitur.*

6. Ex eo igitur & Liſyto] Liſyea *habet antiquus liber, vnde coniecturam facio* Lyſidea *legendum eſſe.*

7. Ex Idæis dactylis] *Antiqua lectio habet* digitis, *quaſi* dactylos *illos appellare Latino nomine maluerit.*

8. Si dij ſunt, ſunt ne etiã Nymphæ deæ? ſi Nymphæ, Paniſci ne & Satyri?] *Ita legitur hic locus in manuſcripto, & vt videtur, melius quàm in impreſſis.*

9. Hæc Carneades agebat] aiebat *habet vetus liber.*

10. Lucus Furinæ] Forinç *ſcribendum ex auctoritate*

tate vetuſti lapidis, in quo ita inciſum eſt,

P. POETELLIVS P. L.
SYRVS
LANISTA AD. AR. FOR IN
AR. ROM. DD. VIX
ANN. XLIIX.
H. S. E.

11. Serapim] Sarapim *eſt in antiquo. & vtroque modo reperitur in æneis numiſmatibus, in quibus eſt* Deo Sarapidi *&* Serapidi.

12. Abſyrto fratri] Apſyrto *ſcribendum auctoribus Græcis ſcriptoribus, apud quos eſt* ἄψυρτος.

13. Atq. in pleriſq. ciuitatibus] atqui *eſt in manuſcripto, ad huius loci ſententiam, & ornatum aptius.*

14. Thaumante dicitur Iris eſſe nata] *Ita legit Ant. Auguſtinus, cùm in impreſſis deſit vox* Iris.

15. Itaq. & Fontis delubrum] *Fonti Deo veruecibus ſacrum fiebat, vt ex inſcriptione fratrum Arualium conſtat, in qua eſt,* FONT. VERB. N̄. II.

16. Anemonem] *De Anemone fluuio meminit Plin. lib.* III. *cap.* XV. *ſed cùm in octaua Italiæ regione ponatur, non habet hîc locum: itaque pro* Anemonem *parua mutatione* Almonem *legendum putarim, qui, vt inquit Vibius Sequeſter, fluuius eſt Romæ vicinus, vbi Mater deûm* VI *Kal. Apr. lauatur. Statius libr.* I. *Sil.*

Eſt locus ante vrbẽ qua primùm naſcitur ingens
Appia, quaq. Italo gemitus Almone Cybelle
Ponit &c. *& Lucanus lib.* I.

Tunc qui fata Deûm ſecretaq. carmina ſeruant:
Et lotam paruo reuocant Almone Cybellem.

17. Anaces] *Ἀνακοὺς appellant Græci Caſtorem & Pollucem: & eorum templum ἀνάκειον dicitur à Luciano*

ciano in Timone.

18. Die matre natus] Dia *legitur in manuſcripto, eamq́; lectionem confirmat vetus inſcriptio fratrũ Arualium, in qua ſunt hæc,*

IIII. I D. DEC. FRATRES ARVAL. IN LVCO.
DEÆ. DIÆ. VIA. CAMPANA. APVD LAP.
V. CONVENER.
PER. C. PORC. PRISCVM. MAG. ET. IBI
IMMOLAV. QVOD. AB. ICTV. FVLMI-
NIS ARBORES LVCI.
SACRI. D. D. ATTACTÆ. ARDVERINT.
EARVMQ. ARBORVM ADOLEFACTA-
RVM &c.

19. Hunc Ægyptij THOYTH] THOTH *eſt in veteribus libris, cum quibus conſentit Græci Ptolemæi ſcriptura in codice apud me maioribus litteris exarato.*

20. Iam Græci ſæpe Vpim] *Intelligit Callimachũ, ſiue Alexandrum Ætolum Poëtam, cuius verſus eſt ex libro, qui fuit inſcriptus Muſæ,* ὑμνῆσαι ταχέων ὦπιν ἐλητῆρα ὀϊστῶν. *Callimachi autem carmen in hymno in Dianam ita legitur,* οὖπι ἄνασσα φαεσφόρε &c.

21. Traditum eſt] *Cùm in manuſcripto ſit* prædictum, *opinor* proditum *legi debere, eamq́; veram eſſe huius loci lectionem.*

22. Dicamus digna diis immortalibus] *Corruptè in manuſcripto eſt* dicali vſu loquamur, *pro* digna iis loquamur, *vt ego coniicio.*

23. Quondam Thyeſtem clepere auſum eſſe à regia] *Aliter hic verſus reperitur ſcriptus in vetuſtiſſimo codice,* quem de ara Thyeſtem &c.

24. Qui iuſſus ſit vinum ſumere] cui vſus ſit, *eſt in manuſcripto.*

25. Telamon] Telamo *habet vetuſtus liber, antiquorumq́;*

quorumq́ eſt ea Latinorũ terminatio, vt Agamemno. Videndus Quinctilianus.

26. Grandi pondere]graui,*pro* grandi *eſt in manuſcripto* : *& paulo ſuprà* expoliauiſſet,*pro* expilauiſſet.

27. Pater imberbis eſſet] *Notum eſt Græcum carmen*, ——οὔποτε φοίβυ

θηλείαις οὐδ᾽ ὅσον ἐπὶ χνοὸς ἦλθε παρειαῖς.

28. Virtutem autem nemo vnquam] *Ita legendũ eſt ex vetuſtiſſimo libro.*

29. Non mirum,ne ciuitates quidem] *Totus hic locus ita legitur in antiquo*· nimirũ ne ciuitates quidem.non eas? ne nationes quidem &c.

30 Iccirco ſomnia hæc tecum] *vox* ſomnia *abeſt ab antiquo codice ; nec dubito , quin ſit omnino inducenda.*

31. Qui etiam ſomnia putet ad nos mitti ab Ioue] R*eſpexit ad Homeri verſum*, καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

IN LIB. I. DE DIVINATIONE.

1. Sed ineſt mire & ranunculis] *Cùm in veteri libro ſcriptum ſit,* inriuis,*facilè adducor vt credam,vocem* mire *ab aliquo repoſitam fuiſſe , cui ſuſpectum eſſet verbum* inriuis , *quod librariorum imperitia factum erat ex* Gyrinis·*hanc autem veram eſſe huius loci lectionem,admonuit etiam Victorius , adducto Arateo verſu* ἐκ τῶν φαινομένων·

Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοῶσι γυρίνων.

2. Extis enim omnes ferè vtuntur] *Neſcio quomodo magis placet,vt eſt in manuſcripto,*vtimur.

3. Omnes ciuili generoſa ſtirpe profectos] *Ita*

ſcriptus

ſcriptus eſt hic verſus in antiquo, cùm in vulgatis ſit, Omnes ciuili generoſam ſtirpe profectam.

4. Vt Bacis Boeotius] *Clemens Alexandrinus in* I. ϛρωμ. χρησμολόγοι παρ' ἕλλησι σύχνοὶ γεγονέναι φέρονται· ὡς οἱ βάκιδες, ὁ μὲν βοιώτιος, ὁ δὲ Αρκὰς, πολλὰ πολλοῖς προαγορεύοντες. τῇ δὲ τοῦ Αθηναίου Ἀμφιλύτου συμβουλῇ, καὶ Πεισίστρατος ἐκράτυνε τὴν τυραννίδα, τὸν καιρὸν τῆς ἐπιθέσεως δηλώσαντος. σιγάθω γὰρ Κομήτης ὁ Κρὴς. Κινύρας ὁ κύπριος. Ἄδμητος ὁ θετταλός. Ἀρισταῖος ὁ Κυρηναῖος. Ἀμφιάραος ὁ Ἀθηναῖος &c.

5. Incredibilis partus malorum] mularum *habet liber manuſcriptus*: mularum *autem in* malorum *facilis fuit mutatio.*

6. CCCCLXX. annorũ] *In manuſcripto eſt* CCIↃↃ. annorum. *puto autem rectum eſſe* CIↃ. IↃↃↃ. annorum.

7. Quę Taygetis] Tegeatibus *habet antiquus liber, & ita omnino legendum: ſiue, vt edidit Lambinus,* Tegeatis. *confirmat eam lectionẽ Pauſanias in Laconicis.*

8. Sed vt vis acciderit] *In manuſcripto eſt*, vt vt vis occiderit.

9. Galleotæ] Galeotæ *vetus codex, & ita habet Stephanus ἐν τῷ γαλεῶται.*

10. Curis ſumptis ſuſpirantibus] ſumptus *eſt in manuſcripto, hoc eſt correptus, vel quod melius puto,* cõſumptus: *vt ſimplex ſit, pro compoſito.*

11. C. Coponius ad te veniſſet Dyrrhachio cũ Prætorio imperio] C. Coponius PR. S. C. *in argenteo denario deſcriptus eſt.*

12. Domumitionem] domuitionem *habet antiquus liber cõpoſito vocabulo, & ita legit Appuleius: & in libro* III. *ad Herennium*, iam domuitionem reges &c.

13. Noſtri etiam augurales] veſtri *eſt in manuſcripto, & ita ſcribendum eſt, vt ad Ciceronis auguratum referatur.*

14. Ego prouidebo rem iſtam, & albæ virgines] *Græcum carmen vertit*, Ἐμοὶ μελήσεις ταῦτα, καὶ λευκαῖς κόραις.

15. At rationem cur id fiat] *Ita ſcriptum eſt in antiquo, cùm in impreſſis deſit particula* at.

16. Qui ſui quęſtus cauſa] *Tale quiddam dixit Sophocles in Oedipo,*

ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσι μόνον δέδορκε,
τὴν τέχνην δ᾽ ἔφυ τυφλός.

17. Glutidarum] Clytidarum *ſcribendum eſt auctoribus Herodoto, & Pauſania. Herodoti verba ſunt,* καὶ γένεος τοῦ Ἰαμιδέων, καὶ Κλυτιάδων &c. *Pauſaniæ*· Ἀρχίδαμος τεθρίππῳ νενικηκὼς, καὶ Ἐπέραστός ἐστιν ὁ θεογένης ὅπλον νίκην ἀνῃρημένος. εἶναι δὲ καὶ μάντις ὁ Ἐπέραστος τοῦ Κλυτιδῶν γένους. *Facilè autem librarius labi in eo nomine potuit, cuius primam litteram* c, *in* g, *mutabant antiqui, &* u, *ſcribebant pro* y. *vt pro* Sylla *&* Myrrha, Sulla *&* Murrha: *pro,* Cycnus, *&* Caius; Cygnus, *&* Gaius.

18. Tuſculi ædes Caſtoris & Pollucis] *Quia Tuſculani Caſtorem et Pollucem in primis colebant, L. Seruius Sulpicius Rufus ad celebrandum gentis ſuæ, quæ obſidione Tuſculum exemerat, factum præclarum, in vna parte aurei nummi, Tuſculum ipſum, in altera, ſigna Caſtoris & Pollucis pileata impreſſit.*

19. Tum inſolenter] *Legendum* tamen, *pro* tum, *vt habet liber manuſcriptus.*

20. Non plus quàm Mileſium Thalem] *Sumpſit hoc ab Ariſtotele ex lib. 1. Pol.* οἷον καὶ τὸ θάλεω τοῦ μιλησίου. τοῦτο γάρ ἐστι κατανόημά τι χρηματιστικόν. ἀλλ᾽ ἐκείνῳ μὲν διὰ

τὴν

τὴν σοφίαν προσάπτουσι, τυγχάνει δὲ καθόλου τι ὄν. ὀνειδιζόντων γὰρ αὐτῷ διὰ τὴν πενίαν ὡς ἀνωφελοῦς τῆς φιλοσοφίας οὔσης, κατανοήσαντά φασιν αὐτὸν ἐλαιῶν φορὰν ἐσομένην ἐκ τῆς ἀστρολογίας, ἔτι χειμῶνος ὄντος, εὐπορήσαντα χρημάτων ὀλίγων, ἀῤῥαβῶνας διαδοῦναι τῶν ἐλαιουργίων, τῶν τ' ἐν Μιλήτῳ καὶ Χίῳ πάντων, ὀλίγου μισθωσάμενον, ἅτ' οὐθενὸς ἐπιβάλλοντος. ἐπειδὴ δὲ ὁ καιρὸς ἧκε, πολλῶν ζητουμένων ἅμα, καὶ ἐξαίφνης ἐκμισθέντων, ὃν τρόπον ἠβούλετο πολλὰ χρήματα συλλέξαντος, ἐπιδεῖξαι ὅτι ῥάδιόν ἐστιν πλουτεῖν τοῖς φιλοσόφοις.

IN LIB. II. DE DIVINATIONE.

21. Aut num neſcio qui ille diuinus] *Ita eſt in manuſcripto, cùm in impreſſis deſit particula* num, *alioqui neceſſaria, vt videtur.*

22. Eſt quidem Græcus vulgaris] *In manuſcripto eſt* quidam *pro* quidem.

23. Simul ac molam & vinum inſperſeris] *Manuſcriptus habet* ſimul ac molam, immò iam vt vinũ inſperſeris.

24. Quod enim intelligeres, vt premerem te, cũ ex te cauſam &c.] *Magis placet, vt eſt in antiquo,* quod enim intelligeres fore vt premerere, quom ex te cauſam &c.

25. Omnem autem orationem fuiſſe eam, qua Haruſpicinæ diſciplina contineretur] quæ *pro* qua *ſcriptum eſt in vetere libro.*

26. Vbi apud focum angues nundinari ſolent] nidulari *legebat amicus meus; quo verbo vſus eſt Varro apud Nonium.*

27. Nam ex acuminibus quidem] *Nõ video quid impulerit amicum meum virum doctiſſimum, vt hoc loco pro* acuminibus, *legeret* cacuminibus; *cùm ita ſcriptum etiam ſit apud Arnobium lib.* 11. *cùm inquit:* Aut

Martium diſcrimen obeuntes ſpem præſidij ſumitis,& ex acuminibus auſpicatis. *Niſi fortè Feſti illũ mouit auctoritas,cuius hæc ſunt*, Superuacanea dicebatur ab augurib.auis quæ ex ſummo cacumine vocem emiſiſſet.

28. Troginorũ] *Vetus liber habet* Trochamorũ, *mendosè: eſt enim ſcribendum* Trochmanorum , *ſiue* Trochmenorum.*Stephano autem* τροχμηνοὶ ἔθνος Γαλατικόν.

29. Proclus & Euryſthenes] *Cũ ab Herodoto hic idem nominetur* προκλῆς, *à Strabone autem* πατροκλῆς, *adducor vt ſuſpicer, apud Herodotum omiſſam fuiſſe lineam à librario, quæ ſuper* πατροκλῆς *nomen obducenda fuit,& ex* προκλῆς *factum eſſe vt ſcriberetur*, προκλῆς.

30. Atq. in Sibyllinis ex primo verſu cuiuſque ſententiæ] *In manuſcripto eſt* ex primi verſus.

31. Qui vmbilicum terrarum certum obſides] obtines *eſt in manuſcripto, & ita ſcriptum eſt apud Varronem in libris De lingua Latina.*

32. Iam vt nihil poſſit eſſe contemptius] *Manuſcriptus habet* ita iam vt nihil poſſit eſſe cõtemptius: *in alio autem eſt* tantum iam vt nihil &c.

33. Qui totum diem iaculans nõ aliquando collineet] collimet *ſcriptum eſt in veteribus libris , & ita omnino legendum: eſt enim locus ſumptus ex Ariſtotelis libro* περὶ ἐνυπνίων, *in quo ſcriptum eſt*, ὥσπερ μὲν καὶ λέγεται ἂν πολλὰ βάλῃς, ἄλλοτ' ἀλλοῖον βαλοῖς. *agit autem de inſomniis melancholicorum, in quibus nõ exiſtimat eſſe diuinationem vllam, tametſi ſit nonnunquam, vt quidã euentus ſomniis eorum reſpondeant : ſed non eſſe mirandum, cùm vitio naturæ plurima, ac varia ſomnient, aliquando exiſtere* συμπτώματα, *id eſt caſus, qui fortè pariter ſic eueniunt , vt eſt ab illis ſomniatum. De verbo*

collimare

collimare *vide quæ ſcripſimus ſuprà.*

34. Neptunus gubernantibus nõ poteſt] gubernationis *pro* gubernantibus *eſt in antiquo, quòd magis placet.*

35. Sic ſuperſtitionis ſtirpes omneseiiciẽdæ ſunt] elidendæ *liber vetus.*

IN LIBRVM DE FATO.

1. Quam περὶ δυνατῶν appellant] *Ariſtoteles* περὶ ἑρμηνείας. τούτων δὲ, *inquit*, διωρισμένων, σκεπτέον ὅπως ἔχουσιν αἱ ἀποφάσεις, καὶ καταφάσεις πρὸς ἀλλήλας, αἱ τοῦ δυνατὸν εἶναι, καὶ μὴ δυνατὸν, καὶ ἐνδεχόμενον, καὶ περὶ τοῦ ἀδυνάτου τε καὶ ἀναγκαίου. ἔχει γὰρ ἀπορίας τινάς.

2. Vt in ſimul ægrotantibus fratribus] *Huc pertinent illa quæ à Diuo Auguſtino adducuntur in lib. v. de Ciuit. Dei.* Cicero dicit Hippocratem nobiliſſimum medicum ſcriptum reliquiſſe, quoſdam fratres cùm ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingraueſceret, eodẽ leuaretur, geminos ſuſpicatum: quos Poſidonius Stoicus multum Aſtrologię deditus, eadem conſtitutione aſtrorum natos, eademq́. conceptos ſolebat aſſerere.

3. Si fati omnino nullum nomen] *Ariſt. in lib.* περὶ ἑρμηνείας. οὐθὲν ἄρα οὔτε ἐστὶν, οὔτε γίνεται, οὔτε ἀπὸ τύχης, οὔθ' ὁπότερον ἔτυχεν, οὐδὲ ἔσται, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης ἅπαντα.

4. Quid Socratem non ne legimus quemadmodum notarit Zopyrus Phyſiognomon] *Videtur hoc Cicero tranſtuliſſe de Græco ſcriptore, à quo Alexãder Aphrodiſiẽſis ex ſcripſit ea quæ edidit in libro* περὶ εἱμαρμένης. Εἰπόντος γοῦν Ζωπύρου τοῦ φυσιογνώμονος περὶ Σωκράτους τοῦ φιλοσόφου ἀτοπώτατα καὶ πλεῖστον ἀφεστῶτα τῆς προαι-

 ρέσεως

ρέσεως αὐτοῦ τῆς κατὰ τὸν βίον, καὶ ἐπὶ τούτοις ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Σωκράτην καταγελωμένου, οὐδὲν εἶπεν ὁ Σωκράτης ἐψεῦσθαι τὸν Ζώπυρον, ἦν γὰρ ἂν τοιοῦτος, ὅσον ἐπὶ τῇ φύσει, εἰ μὴ διὰ τὴν ἐκ φιλοσοφίας ἄσκησιν, ἀμείνων τῆς φύσεως ἐγένετο.

5. Quid quid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe] *Ariſt. in lib.* περὶ ἑρμηνείας. ἅπαντα οὖν τὰ ἐσόμενα ἀναγκαῖον γενέσθαι.

6. Vt quanquam de futuro dicitur] dicetur *Lambinus, ſed melius* dicatur, *vt eſt in manuſcripto.*

7. Pytharatus] *Ita ſcribendum: in argenteo enim Athenienſium Græco numiſmate* ΠΥΘΑΡΑΤΟΣ *Archon deſcriptus eſt.*

8. Hinc Democritus auctor atomorum] Hic, *vetus liber, à quo abeſt verbum* poſſe *in iis quæ ſequũtur:* Acutius Carneades, qui docebat poſſe Epicureos ſuã cauſam ſine hac commenticia declinatione defendere.

9. Non conualeſces] *Abeſt* non *ab antiquo, ſententia etiam reiiciente.*

10. Quòd eadem ratione omnis è vita tolletur actio] *Ariſtoteles in libro* περὶ ἑρμηνείας. ὥστε οὔτε βουλεύεσθαι δέοι ἄν, οὔτε πραγματεύεσθαι.

IN LIB. I. DE LEGIBVS.

1. Quam Marianam quercum vocent] *In libro manuſcripto deeſt vox* quercum, *quæ mihi abundare omnino videtur.*

2. Certè non longè à tuis ædibus] certè ne longè &c. *Lãbinus paulo melius. In manuſcripto optimè,* certè num longè &c. *infra deſunt in manuſcripto,* verum ne ſit.

3. Sed tamen iſti Tite noſter] *Abeſt à veteribus*

libris vox, iſti, *quam arbitror omnino delendam.*

4. Cùm in illa ad veritatem Quincte referantur] *Legendum vt in manuſcripto*, quippe cùm in illa ad veritatem quæq. referãtur. *Petrus Ciacconus mauult* cuncta, *pro* quæq. *licet veteres libri repugnent.*

5. Quibus nihil poteſt eſſe iucundius] ieiunius *mallem, quod à recepta ſcriptura non nimium abeſt, & ſententiæ, nihil, vt mihi videtur, aptius excogitari poteſt.*

6. Nam quid Acrum memorem] *Habeo librũ cum manuſcripto collatum multis abhinc annis à viro, vt apparet, doctiſſimo: in eo autem pro* acrum *emendatũ eſt*, Macrum, *vt Sigonius correxit: ſed, pro*, datio ſumma impudentia, *eſt*, ad ſummam impudentiam, *quod Lambinus teſtatur ſe in ſuo etiam manuſcripto reperiſſe.*

7. Et hac quidem adire ſic placet] *Ita eſt in veteribus libris, multò vt mihi videtur rectius, quàm in vulgatis.*

8. In cupreſſetis Cnoſiorũ] *Ad hæc* Cnoſiorum *celebrãda* cupreſſeta, *quòd eo arboris genere locus abũdaret, in numiſmatibus* Cnoſiorum *argenteis, quæ apud me ſunt, Cupreſſus arbor inciſa eſt.*

9. Non eſt ita Quincte] *Petrus Ciacconus putat legendum*, eſt verò ita Quincte: *nam in his libris ſæpe ita loquitur Cicero, & antiqua ſcriptura* $\overset{s}{vo}$, *in* NÕ *facilè mutatur.*

10. Solum eſt enim ex tot animantium generibus atq. naturis particeps rationis] *Videtur hoc ab Ariſtotele ſumpſiſſe ex lib.* I. *Pol.* λόγον δὲ μόνος ὁ ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων.

11. Ex iis enim quæ dixiſti, niſi quid Attico videtur] *Ita opinor legendum eſſe hunc locum ex auctoritate*

tate veteris libri manuſcripti.

12. Ad Reſp. firmandas & ſtabiliendas iure, ſanādos populos] *Vetuſtus codex habet* ad Reip. firmāda & ſtabilienda iura, ſociandos populos: *quæ mihi lectio multo magis placet, quàm ea quæ à Lambino reſtituta eſt.*

13. In hortulis ſuis iubeamus dicere] *Placet Petro Ciaccono, vt legatur*, deſidere, *pro* dicere: *quomodo Terentius in Hecyra locutus eſt*, Fruſtra ibi totum deſedi diem.

14. Veri & falſi iudicandi ſcientia & arte quadam intelligendi &c.] *In libris manuſcriptis ita legitur*, veri & falſi iudicio, ſcientia & arte quadam intelligendi &c.

15. Enimverò facit, & meritò & ipſe] & ipſe, *non eſt in manuſcripto. alij* & rectè *legunt.*

IN LIB. II. DE LEGIBVS.

16. Et Sunij erant iidem & Attici] Sunij *vox, duabus mihi de cauſis ſuſpecta eſt. primùm quòd à Sunio Sunienſis deduci debebat, non Sunius: deinde quòd in omnibus veteribus libris* Symphratides *licet mendoſè, pro* Sunij *ſcriptum reperitur. Quid ſi* Symphratores *legas? & ita exponas: Tribules Athenis, priuſquam Theſeus &c. cùm ex ea tribu nomē habuiſſe in qua cenſebantur, tum Atticos etiam eoſdem nominatos fuiſſe. Verbi gratia:* Δημοσθένης παιανιεὺς ὁλόρου.

17. Sed tamen huic amœnitati Thyamis Epirotes tuus ille nihil conceſſerit] *Neceſſe eſt vt fluuius fluuio comparetur, non flumen amœnitati: itaq. Petrus Ciacconus ita putat legendum*, Sed tamen huic amœnitate Thyamis Epirotes tuus ille nihil conceſſerit. *in oratione pro Deiotaro:* Quam nemini in illa cauſa

ſtudio

ſtudio & cupiditate concedere. *Ergo Thyamis ille Epiri fluuius Fibreno non concedet amœnitate. Paulo poſt*: M. Quorſum iſtuc? *legēdū videtur* Att. Quorſum iſtuc? *nam perſona proxima* M. *eſt. & infra* A pueris enim Q. didicimus, Si in ius vocet, atque eat, eiuſmodi alias leges nominare: *Petrus Ciacconus exiſtimat ſcribendum eſſe*, didicimus, Si in ius vocet, atque eiuſmodi alias, leges nominare: *Diſcebant enim pueri, vt alibi Cicero ait, leges* XII. *Tab. tanquam carmen neceſſarium. erat autem lex* XII. *Tab. huiuſmodi*: Si in ius vocet. ſi morbus æuitáſue vitium ſit &c. *Agell. li.* XX, *cap.* I. *& leges tūc, vt etiam nunc, iurecōſulti ex primis eius verbis notabant ſic*. L. SI. IN. IVS. VOCET.

18. Iccirco minus Coclitem illum rem geſſiſſe tantam fortitudinis] *Videtur legendum* tantæ fortitudinis, *vt eſt in manuſcripto.*

19. Neq. in populo lex cuicuimodi fuerit illa, etiam ſi pernicioſum aliquid populus acceperit] *In antiquo eſt*, neq. in populo lex, cui quid mali fuerit illa, etiam ſi pernicioſum &c.

20. Et quoniam & locus & ſermo familiaris eſt, legum vocem proponam] *Petrus Ciacconus legit*, & quoniam legum etiā ſermo familiaris eſt, eas legum voce proponam. voce *autem pro* verbis *poſuit, vt in* II. *Philip.* voce litterarum. *& Tuſcul.* I. Loqueretur enim eorum voce virtus ipſa tecum. *ſcriptū olim fuit* lecum: *nam* c, *pro* g. *vtebantur, atq. inde à librariis factum* locum, *ſeu*, locus.

21. Olliq. obtemperanto] ollisq. *vetus liber. & infrà pro* ſi ſenatus iuſſit, *habet* ſi ſenatus iuſſerit.

22. Atq. obſtita pianto] obſcina *eſt in manuſcripto, pro*, obſtita.

23. Sumptu

23. Sumptu ad ſacra adhibito] addito *pro* adhibito *habet antiquus liber.*

24. Et ignotas cærimonias non à ſacerdotibus, non à patribus acceptos] *In antiquo ſcriptum eſt*, & ignotas cærimonias etiam ſacerdotibus. *Sed videndum num* acceptas *legēdum ſit*, *pro* acceptos, *vt ad cærimonias referatur.*

25. Cylonio ſcelere] *Expreſſit Græca verba*, *κυλώνιον ἄγος.*

26. Omnia eiuſmodi repudianda ſunt] *Amicus meus putat legendum* omina *pro* omnia *in vetere autē libro, pro* ſtataſſandi *vnico verbo, quod ſtellula in Aldinis editionibus notatum eſt, duæ inueniūtur voces* ſtandi, *&* ſaluandi, *vt ad eorum alteram* Statoris *cognomen, ad alteram* inuicti *referendum ſit.*

27. Vel huiuſce diei] Fortuna huiuſce diei *colebatur à Romanis, vt ſcribit Plinius lib.* XXXIV. *cap.* VIII. *Primus autem Benedictus Aegius Spoletinus ex veteris lapidis Capitolini auctoritate, in quo eſt* Vico FORtunæ huiuſce diei, *Ciceronis locum hunc qui antea mēdosè legebatur correxit, & Plinij teſtimonio, quod corruptum & ipſum erat, confirmauit. Cùm autem Plutarchus in libro de Fortuna Romanorum ſcripſerit ἰδίας τύχης ἱερὸν in Palatio fuiſſe, & P. Victor in Palatio item poſuerit vicum Huiusq; diei, videndum ne ad eandem vterq. Fortunam reſpexerit, quā in Mario, τύχην ἡμέρας ἐκείνης idē Plutarchus appellauit: &* Ἐπιστρεφομένην, *quam infra, quòd Opis templum reſpiceret, & Forum reſpicientem Cicero nominauit.*

28. Cui maribus cui feminis] *Mirificè hunc locum illuſtrant fragmenta quædam inſcriptionum, quæ apud me ſunt, Fratrum Arualiū, in quibus eſt:* Sulpicius. Camerinus. magiſter. collegi. Fratrum. Arualium

lium.nomine.immolauit.in.capitolio. . . Coſ. Neronis.Claudi.Cæſaris.Aug. Germanici. Ioui. B. marem.Iunoni. vaccam. Mineruæ. vaccam.Genio. ipſius.taurum.&c.

29. Cumq. Veſta quaſi focum vrbis] focus *eſt in libro manuſcripto.& paulo infrà* conſpecta ſit,*pro* cō-plexa ſit.*vt videatur legendum*, conſpicue ſit.

30. Nihil domi nihil militiæ] nihil foris, *eſt in manuſcripto : vt verbum* militiæ, *gloſſema ſit ad verbum* foris.

31. Neq.enim Polyidi neq.Melampodis]Poletis *habent pro* Polyidi *non ſolùm veteres libri manuſcripti,ſed antiquæ etiam editiones: nec video cur neceſſe fuerit mutare,cùm de Polete fiat mentio cum ab aliis, tum à Suida in verbo* πόλης.*Eius verba ſunt:* Πόλης Αἰγιεὺς ἀπὸ Αἰγῶν τῆς Ἀσίας πλησίον Μαγνησίας καὶ Σμύρνης, φιλόσοφος καὶ μάντις· ἔγραψε κατὰ στοιχεῖον συμβολικὰ ἐν βιβλίοις β. οἰωνοσκοπικὰ ἐν βιβλίοις η. &c.

32. Ius plurimum valet & fides] vt vides *eſt in antiquo manuſcripto. error autem vt*,& fides, *pro*, vt vides *receptum ſit, opinor, inde fluxit, quòd Aeolico digamma.* F, *antiqui pro* V, *vtebantur*, *vt* TERMINAFIT ET DIFI, *pro* terminauit *&* diui : *Scriptumq́; fortaſſe erat in exemplaribus* Fides *pro* vides, *quod ab imperito poſtea librario in* fides *mutatum fuit. Idem error in libro* 1. *De natura deor. irrepſit : in quo cùm* Fidentes *ſcriptum eſſet,pro* videntes,*vt eſt in aliquibus codicibus*, fidentes *librarij fecerunt.*

33. Langue facit] languere facit *habet vetus codex,Græca loquendi figura,qua vſus eſt Plato in Cratylo*, πείσειεν ἂν ἐμὲ ὁμολογεῖν, καὶ λέγειν.

34. Negat enim mutari poſſe muſicas leges ſine mutatione legum publicarum] *Videtur hoc conueni-*

re cum iis quæ à Platone ſcripta ſunt in lib. IV. *de Rep.* εἶδος γὰρ καινὸν μουσικῆς μεταβάλλειν εὐλαβητέον. οὐδαμοῦ γὰρ κινοῦνται μουσικῆς τρόποι ἄνευ πολιτικῶν νόμων τῶν μεγίστων, ὥς φησί τε Δάμων, καὶ ἐγὼ πείθομαι.

35. Stipem ſuſtulimus] πτωχεύειν, *id Græci dicũt: & μηναγύρτας, qui ſtipem cogunt.*

36. Apud Solos in delubro] *Antea legabatur* ſcelem, *malè prorſus. Sed cùm in manuſcripto ſit* Soloem, *videndum num* Solenſes *ſit legendum.*

37. Iudicia ſenatus Italiæ gentium deniq. omnium conſeruatæ patriæ conſecuti ſumus] *Ita legitur in vulgatis, neq. cauſa eſt cur hanc lectionem improbem: in vetere tamen libro, qui eſt apud me, quemadmodum hic locus legatur, debeo lectorem monere:* iudicio ſenatus, Italiæ, gentium deniq. omnium conſeruatæ patriæ nomen conſecuti ſumus. *notum autẽ eſt Ciceronem Patrem Patriæ appellatum fuiſſe.*

38. Vt focus domiciliorum] domicilij *habet liber antiquus, & ita videtur ab aliquo emendatum ex Platone.* γῆ μὲν (*inquit*) ἑστία τῆς οἰκήσεως ἱερά.

39. Quod genus ſacrificij Lare veruecibus fiat] *Laribus veruece ſacrum fiebat, vt ex inſcriptione Fratrum Arualium intelligere poſſumus, in qua eſt,* LARIB. VERB. N̄. II. MATRI LAR. OV. N̄. II.

40. Redditur enim terræ corpus] *Locus ex Xenophontis Pædia Cyri:* τὸ δ' ἐμὸν σῶμα, Κῦρος φησὶν, ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω, μήτ' ἐν χρυσῷ θῆτε, μήτ' ἐν ἀργυρῷ, μήδ' ἐν ἄλλῳ μηδενὶ, ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε. τί γὰρ τούτου μακαριώτερον; τοῦ γῇ μιχθῆναι, ἣ πάντα μὲν καλὰ, πάντα δὲ ἀγαθὰ φύει, καὶ τρέφει. ἐγὼ δὲ καὶ ἄλλως φιλάνθρωπος ἐγενόμην, καὶ νῦν ἡδέως ἄν μοι δοκῶ κοινωνῆσαι τοῦ εὐεργετοῦντος ἀνθρώπους.

41. Ad Fontis aras] Fontis aræ *extra portam Capenam*

penam erant in via Appia, vt ex inſcriptione ibi eruta conicere licet, quæ baſi inciſa fuit, cui Fontis ſtatua ſuperpoſita erat. in eius autem auerſa parte hœdus ſculptus eſt, qui Fonti (vt Horatius in quodam carmine cecinit) ſacrificabatur.

42. Quod os ſupra terram non extaret porcam heredi eſſet] *In manuſcripto codice legitur,* quo ad os ſupra terram non extatet porcaq. heredi eſſet. *alius liber habet,* porcam heredi eſſe. *ſed poſt* porca *in alio libro, & alia manu additum eſt,* præcidanea, *ex Nonio; vt opinor, qui in verbo* præcidanea *citat locum ad hanc rem facientem.*

43. Rogum aſcia ne polito] *Facit ad hunc locum vetus inſcriptio, in qua ſunt hæc,*

SVB. ASCIA. DEDICAVIT.

De Aſcia Plin. *lib.* XVI. *cap.* IV. *eam D. Hieronymus dolatoriam appellat. inde verbum Aſcio, & Exaſcio: & exaſciatum opus; pro expolito dixit Plautus in Aſinaria.*

44. Aſt im] im *pro* eũ; *dixiſſe veteres tradit Macrobius lib.* I. *Sat. adducto teſtimonio ex* XII. *Tab.* Si nox furtum factum ſiet, ſi im aliquis occiſit, iure cæſus eſto. *paulo poſt,* ne ſibe, *eſt in antiquo, pro* ne ſibi.

45. Habet enim luctum concurſus hominum] auget *eſt in vetere libro pro* habet: *ſed nihilo meliore ſententia.*

IN LIB. III. DE LEGIBVS.

46. Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt] *Ariſtoteles lib.* I. *Pol.* Διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη.

47. Magiſtratibus igitur opus eſt, ſine quorum prudentia ac diligentia eſſe ciuitas non poteſt] *Lo-*

*cus ſumptus ex lib.*VIII.*Pol. Ariſtotelis*: τῶν μὲν γὰρ ἀναγκαίων ἀρχῶν χωρὶς ἀδύνατον εἶναι πόλιν.

48. Nam & qui bene imperat, paruerit aliquãdo neceſſe eſt] *Ariſtoteles lib.*VII. *Pol.* τόν τε γὰρ μέλλοντα καλῶς ἄρχειν, ἀρχθῆναι φασὶ δεῖν πρῶτον. *& paulo pòſt*, ἐπεὶ δὲ πολίτου καὶ ἄρχοντος τὴν αὐτὴν ἀρετὴν εἶναι φαμὲν, καὶ τοῦ ἀρίστου ἀνδρὸς, τὸν δ' αὐτὸν ἀρχόμενόν τε δεῖ γίνεσθαι πρότερον, καὶ ἄρχοντα ὕστερον. τοῦτ' ἂν εἴη τῷ νομοθέτῃ πραγματευτέον, ὅπως ἄνδρες ἀγαθοὶ γίγνωνται. *ad hunc locum quin reſpexerit Cicero, dubitandum non eſt.*

49. Cùm ſciſcentur] *Vetus liber* quom ſciſcẽtur: *ex quo malè alij*, con ſciſcentur.

50. Aſt qui turbaſſit in agendo] *In antiquo eſt*, at ſi quid turbatum ſit in agendo.

51. Diſcere rem] *Vetus liber* dicere, *pro quo alij* diſcedere *repoſuerunt: mihi placeret* ſciſcere, *quod paullum à vetere ſcriptura diſcedit, & ſententiæ mirificè congruit.*

52. Quanquam ad commodum ſenatus pertinere videatur] *Magis placet*, videbatur, *vt eſt in manuſcripto.*

53. Quin per ipſum Ti. Gracchum non ſolùm vetitus, verùm etiam ſublatus interceſſor fuerat] *Ita legitur hic locus in manuſcripto: Lambinus autem pro* nectus *verbo corrupto, repoſuit* nexus. *Manutius* neglectus.

54. Nec enim tãtum mali eſt peccare principes] *Locus ſumptus ex lib.*II.*Pol. Ariſtotelis*: ὅτι δ' ἂν ὑπολάβῃ τίμιον εἶναι τὸ κύριον, ἀνάγκη καὶ τὴν τῶν ἄλλων πολιτῶν δόξαν ἀκολουθεῖν τούτοις.

55. Quod ſi in ſenatu difficile eſt (eſt enim Senatoris cuius non ad actorem referatur animus, ſed qui per ſe ipſe ſpectari velit) huic iuſſa tria erũt &c.]

Ita

Ita legitur hic locus in manuſcripto, nec aliter mihi legendus videtur.

56. Aut cum nullo magiſtratu iuuante] *Ita vetus liber* : *in aliis deeſt*, aut, *ad ſententiam neceſſarium*.

IN LIB. DE VNIVERSITATE.

* Ne quis morbus eum poſſit aut ſenectus affligere] attingere *habet vetus liber* : *& ita placet potius vt legatur, ob illa Platonis verba*, ἵνα ἀγήρων, καὶ ἄνοσον ᾖ.

IN LIB. I. DE OFFICIIS.

1. Hic ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, fit vt neq. amicitiam colere poſſit] *Ita legendus hic locus, cùm in vulgatis deſint illa duo verba* fit vt.

2. Quod hæc tantum, quantum ſenſu mouetur] *Ariſtoteles lib.* 1. *Pol.* καὶ ὁ κοινωνῶν λόγου τοσοῦτον, ὅσον αἰσθάνεται.

3. Similitudines comparat] *Totus hic locus ex Polybio ſumptus eſt, cuius verba ſunt ex lib.* VI. τοῦ δὲ γένους τῶν ἀνθρώπων ταύτῃ διαφέροντος τῶν ἄλλων ζώων, ᾗ μόνοις αὐτοῖς μέτεστι νοῦ καὶ λογισμοῦ, φανερὸν ὡς οὐκ εἰκὸς παραβέχειν αὐτοὺς τὴν προειρημένην διαφορὰν, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων, ἀλλ' ἐπισημαίνεσθαι τὸ γινόμενον, καὶ δυσαρεστεῖσθαι τοῖς παροῦσι, προορωμένους τὸ μέλλον, καὶ συλλογιζομένους, καὶ παραπλήσιον ἑκάστοις αὐτῶν συγκρίσει.

4. Quę ſi oculis cerneretur, mirabiles amores, vt ait Plato, excitaret ſapientiæ] *pro* ſapientiæ *Faernus reponebat* ſui: *cõfirmabatq́, eam lectionem Platonis auctoritate, apud quem eſt*, ἑαυτῆς, *& loco ſimili ex lib.* II. *De finibus, in quo ſcriptum eſt* : Quàm illa ardentes

amores excitaret ſui ſi videretur. *Platonis verba ex Phædro vnde hæc Ciceronis tranſlata ſunt ſubiecimus.* δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν.

5. Ac de primo quidem officij fonte ſatis diximus] *Ita eſt in manuſcripto. in impreſſis autē deeſt* ſatis, *quod tamen videtur non eſſe ſuperuacaneum.*

6. Niſi id fecerit ipſe aliquo afficiatur incommodo] *Videtur hoc accepiſſe ab Ariſtotele ex lib.* v. *Pol.* διὰ δὲ φόβον στασιάζουσιν οἵτε ἠδικηκότες, δεδιότες μὴ δῶσι δίκην, καὶ οἱ μέλλοντες ἀδικεῖσθαι, βουλόμενοι φθάσαι πρὶν ἀδικηθῆναι.

7. Tum ad perfruendas voluptates] *Ariſtoteles lib.* I. *Pol.* ὅσοι δὲ καὶ τοῦ εὖ ζῆν ἐπιβάλλονται, τὸ πρὸς τὰς ἀπολαύσεις τὰς σωματικὰς ζητοῦσι.

8. Qui dum altero iniuſtitię genere vacant] *Vetus liber*, ij dum altero, &c.

9. Nam ſi, vt in fabulis eſt, Neptunus quod Theſeo promiſerat non feciſſet] *Videtur reſpexiſſe ad locum Platonis, qui eſt in* III. *De legibus:* καὶ ὅταν γε ὁ πατὴρ ὢν γέρων, ἢ καὶ σφόδρα νεανίας, μηδὲν τῶν καλῶν καὶ τῶν δικαίων γιγνώσκων, εὔχηται μάλα προθύμως ἐν παθήμασιν ἀδελφοῖς ὢν τοῖς γενομένοις θησεῖ πρὸς τὸν δυστυχῶς τελευτήσαντα ἱππόλυτον.

10. Quæ ſint iis quibus promiſeris inutilia] *In manuſcripto eſt*, ſi ſint iis &c.

11. Nec cauponantes bellum] καπηλεύειν μάχην *dixit Aeſchylus in ea tragœdia quæ inſcribitur*, ἑπτὰ ἐπὶ θήβαις, *vnde Cicero ſumpſiſſe videtur.*

12. Amicorum omnia eſſe communia] *Ariſtoteles lib.* II. *Pol.* δι᾽ ἀρετὴν δ᾽ ἔσαι πρὸς τὸ χρῆσθαι κατὰ τὴν παροιμίαν, κοινὰ τὰ φίλων. *paulo poſt*, transferri in multas poteſt, *melius in antiquo codice*, per multas.

13. Nihil-

13. Nihilominus ipſi lucet] *Ennij verſus ita legẽdus*, nihilominus vt ipſi luceat.

14. Prima ſocietas in ipſo coniugio eſt] *Ariſtoteles lib.* I. *Pol.* ἀνάγκη δὲ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄρρεν, τῆς γενέσεως ἕνεκεν.

15. In alias domos, tanquam in colonias exeunt] *Similitudo ſumpta ex Platonis libro* VI. *De legibus:* οἷον εἰς ἀποικίαν ἀφικνουμένους αὐτούς.

16. Nihil autem eſt amabilius, nec copulatius] *Legendum* copulantius, *vt eſt in libro manuſcripto.*

17. Vt vnus fiat ex pluribus] *Plato in Sympoſio:* ἐπιχειρῶν ποιῆσαι ἓν ἐκ δυοῖν.

18. Salmacida ſpolia] Salmaci da ſpolia *perſpicuè ſcriptum eſt in manuſcriptis, & ita legendum affirmabat Faërnus. de hoc fonte Strabo li.* XIV. *ita ſcribit:* Καὶ ἡ Σαλμακὶς κρήνη διαβεβλημένη οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν, ὡς μαλακίζουσα τοὺς πίνοντας ἀπ᾽ αὐτῆς.

19. Calliditas potiùs quàm ſapientia eſt appellanda] *Locus ſumptus ex Epitaphio Platonis:* πᾶσά τε ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, οὐ σοφία φαίνεται.

20. Vt enim apud Platonem eſt omnem morem Lacedæmoniorum inflammatũ eſſe cupiditate vincendi] *Vetus codex habet*, omnem vim Lacedæmoniorum inflammatam, &c. *ſed repugnant Platonis verba ex Lachete, ſiue* περὶ ἀνδρείας, *vnde Tulliana trãſlata ſunt:* λακεδαιμονίους, οἷς οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ, ἢ τοῦτο ζητεῖν καὶ ἐπιτηδεύειν, ὅ, τι ἂν μαθόντες καὶ ἐπιτηδεύσαντες, πλεονεκτοῖεν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον.

21. Cuius proprium eſt ſic viuere vt velis] *Ariſt. lib.* V. *Pol.* ἐλεύθερον δὲ καὶ ἴσον, τὸ, ὅ, τι ἂν βούληταί τις ποιεῖν, ὥστε ζῇ, ἐν ταῖς τοιαύταις δημοκρατίαις ἕκαστος ὡς βούλεται.

22. At ille verè à ſe dixerit adiutũ Themiſtoclé] *Liber manuſcript⁹ habet*, At ille adiuuit Themiſtoclé.

23. Concedat laurea linguæ] *Pro* linguæ *in vetuſtiſſimo apud me libro ſcriptum eſt* laudi. *de qua ſcriptura quid nobis videatur, in Philippicis dicemus.*

24. Non putaram] *Demoſthenes Philip.* I. Καὶ μὴν ἐκεῖνό γε αἰσχρὸν, ὕστερόν ποτ᾽ εἰπεῖν, συμβάντος τινὸς, τίς γὰρ ἂν ᾠήθη ταῦτα γενέσθαι, &c. *ad hæc verba Demoſthenis quin reſpexerit Cicero, mihi quidem dubium non eſt.*

25. Vnus homo nobis] *Omnes libri manuſcripti, quos ego viderim, habent* Vnus qui nobis &c.

26. Et ad quædam ſtudia grauiora atq. maiora] *Ariſtoteles lib.* VIII. *Pol.* εἰ γὰρ ἄμφω μὲν δεῖ, μᾶλλον δὲ αἱρετὸν τὸ σχολάζειν. οὐ γὰρ δὴ παίζοντας, τέλος γὰρ ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ βίου τὴν παιδείαν ἡμῖν.

27. Hominis autem mens diſcendo alitur] *Sententia ſumpta, vt videtur, ex oratione Iſocratis ad Demonicum:* τὰ μὲν γὰρ σώματα, *inquit*, τοῖς συμμέτροις πόνοις, ἡ δὲ ψυχὴ τοῖς σπουδαίοις λόγοις αὔξεσθαι πέφυκε.

28. Vt enim in corporibus magnę diſſimilitudines] *Sumpſit hoc ab Ariſtotele ex lib.* I. *Pol.* εἰ δ᾽ ἐπὶ τοῦ σώματος τοῦτ᾽ ἀληθὲς, πολὺ δικαιότερον ἐπὶ τῆς ψυχῆς τοῦτο διωρίσθαι.

29. Præripere hoſtium conſilia] *Ita placet vt legatur, non, vt Lambinus mutauit,* præcipere: *primùm, quia ſic eſt in veteribus libris: deinde, quia ſentẽtia ſumpta eſt ex Sophoclis Aiace:*

Ἀεὶ μὲν ὦ παῖ Λαρτίου δέδορκά σε
πεῖράν τιν᾽ ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.

30. Cum quibus & apud quos viuamus] *Magis placet* viuimus, *vt eſt in manuſcripto.*

31. O domus antiqua] *Ita eſt in veteribus libris. Faërnus tamen affirmabat ſe in vetuſtiſſimo codice, quẽ ipſe*

ipſe vidiſſet, ſcriptum inueniſſe, O domus Anti, quàm diſpari &c. *eamq́ue lectionem metri etiã ratione ita confirmabat, vt Heroicum hexametrum, & non aliter legendum eſſe contenderet. prolatum autem id carmen fuiſſe de Antio quodam, ſiue Reſtione, ſiue alio, cuius domus temporibus illis nota fuiſſet: quamuis alij* t. *littera in* c. *mutata, de Anco rege id dictum malunt.*

32. Et aliis ſimilibus virtutibus] *Magis placet* harũ ſimilibus, *vt eſt in codice apud me vetuſtiſſimo.*

33. Nec verò quicquam eſt turpius vanitate] *Expreſſit Homericã ſententiã,* κακὸν δ' ἀνεμώλια βάζειν.

IN LIB. II. DE OFFICIIS.

34. Sed etiam apud maiores noſtros fruendę iuſtitiæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti] *Imitatus eſt Ariſtotelẽ in lib.* v. *Pol. niſi quòd ad reges tranſtulit Cicero, quæ Ariſtoteles de tyrannis dixit:* ὁ γὰρ τύραννος ἐκ τοῦ δήμου καὶ τοῦ πλήθους ἐπὶ τοὺς γνωρίμους, ὅπως ὁ δῆμος ἀδικῆται μηθὲν ὑπ' αὐτῶν. φανερὸν δ' ἐκ τῶν συμβεβηκότων, σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν τυράννων γεγόνασιν ἐκ δημαγωγῶν, ὡς εἰπεῖν, πιστευθέντες ἐκ τοῦ διαβάλλειν τοὺς γνωρίμους. αἱ μὲν γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον κατέστησαν τῶν τυραννίδων.

35. Ius enim ſemper eſt quæſitum æquabile] *Ariſtot. lib.* II. *Pol.* τὸ μὲν γὰρ δίκαιον, ἴσον δοκεῖ εἶναι.

36. Et Antigoni ad Philippum filium] *Ita legitur in libro manuſcripto, cùm in vulgatis deſit vox* filiũ.

37. Qui has effuſiones pecuniarum non admiremur] *Vel delenda particula* non, *vel* improbemus *legendum, vt eſt in aliquibus exemplaribus, pro* admiremur, *quod non ita placet.*

38. Neq. tamen de noſtra] Neq. tam de noſtra *placet, vt habet manuſcriptus liber.*

39. Remp. gubernãtibus] Reip. gubernatoribus *habet vetus liber eadem ſententia: & paullo ſuprà,* non-

dum enim centum,& decem anni, *&c.* *&*, neq. de noſtra tantùm: *in impreſſis deſunt duo aduerbia* enim *&* tantum; *quorum alterum ad ornatum, alterum ad ſententiam neceſſaria ſunt.*

IN LIB. III. DE OFFICIIS.

40. Inanem redire turpiſſimum eſt] *Alluſit, vt opinor, ad Homericum verſum in lib. I. Iliad.* Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τ' ἀπονέεσθαι.

41. Qui Veneris eam partem] *In vetuſtiſſimo apud me libro ſcriptum eſt*, qui iconis Veneris eam partem: *vt dubium non ſit, quin* Coæ Veneris *legi debeat.*

42. Quin nunquam poſſit vtilitas cum honeſtate contendere] vmquam *legitur in libro antiquo, & ita emendatum eſt in codice viri doctiſſimi.*

43. Qui quondam iidem erant, qui Academici] *Non leguntur hæc poſtrema in manuſcripto*, qui Academici, *& ſententia certè non requirit.*

44. Aliqui caſus] aliquis, *puto rectius in manuſcripto.*

45. Prope tamen abſoluto] *In manuſcripto eſt*, iam, *pro* tamen, *& rectè: ex* iam *enim factum eſt* tam, *& inde* tamen.

46. Nihil præter id quod honeſtum ſit eſſe propter ſe expetẽdum] *In libro manuſcripto legitur* quod honeſtũ ſit, id eſſe maximè propter ſe expetendum.

47. Nihilq. tam ſecundum naturam] *Ita eſt in vetere libro, & melius, vt videtur, quàm in vulgatis.*

48. Quod honeſtum eſſe videant] videatur *rectius, vt opinor, in vetere libro.*

49. Damonem & Pythiam] *Vetus codex habet* Pinthiam, *ex quo coniecturam facio, ſcribendum eſſe* Phintiam. φιντίας *autem reperitur apud Pauſaniam: & in area*

in æreo quodam numiſmate inciſum eſt, ΦΙΝΤΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

50. Cyrſilum quendam ſuadenté vt in vrbe manerent] *Demoſthenes* ἐν τῷ περὶ στεφάνου. τὸ δ᾽ ἐπακούειν, *inquit*, τοῖς ἐπιταττομένοις ἀποφηνάμενον Κυρσίλον καταλιθώσαντες οὐ μόνον αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ αἱ γυναῖκες αἱ ὑμέτεραι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ.

51. Vt nihil cuiuſq. ſit ſuum] *Vetus liber*, vt nihil cuiuſquam ſit.

52. C.Cannius] *Scribendum* Canius *vnico* n, *auctoribus antiquis lapidibus.*

53. Cùm ex eo quærerem] quæreretur *magis placet, vt eſt in vetuſtiſſimo exemplari.*

54. Nequicquam ſapere ſapiētem] *Videtur Ennius ſumpſiſſe de Græco illo*, μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

55. Quam eſſet ab auguribus demoliri iuſſus] *Vetus liber*, quam eas eſſet ab auguribus &c.

56. Et quid ſit bene agi] agier *eſt in manuſcripto.*

57. Non erat æquum] num erat æquum, *liber vetus.*

58. Tribuni plebis adhibuiſſent] *In manuſcripto eſt* adiiſſent, *pro* adhibuiſſent.

59. Cuius autem vita ipſi poteſt vtilis eſſe] *Vetus liber habet*, cui autem vita ipſa poteſt vtilis eſſe: *& ita legendum opinor. in Lælio*, vitalis *legitur*, *pro* vtilis.

60. Quo optato impetrato] *Deeſt in manuſcripto verbum*, optato.

61. Sed dimittamus & fabulas & externa: ad ré factam, noſtraq. veniamus] *Ita legitur hic locus in libro manuſcripto, cùm à vulgatis codicibus partim abſit verbum* factam, *partim habeant* factaque, *quæ le-*

Etio non ita probatur.

62. Quis hæc neget eſſe vtilia quæ cenſes] *Ita videtur legendum ex libro manuſcripto.*

63. Eiusq. conſtitutionis ſpe explorata] *Deeſt aduerbium*, perfectè, *quod poſt vocem* ſpe *in vetuſtiſſimo libro reperitur.*

IN CATONEM MAIOREM SIVE DE SENECTVTE.

1. Quæ nunc te coquit] *Poſt hunc verſum in libro qui eſt apud me ſcriptus manu Pomponij Læti, legitur alius verſus, cuius prior pars reperitur in vetuſtiſſimo etiam alio penes me codice,*

Et qua deprimeris fruſtra noctesq. diesq.

2. Vt onus ſe Ætna grauius] *Sumpſit hoc ex Euripide, apud quem ita eſt in Hercule Furente:*

Ἁ νεότης μοι φίλον ἄ-
χθος. τὸ δὲ γῆρας αἰεὶ
βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων
ἐπὶ κρατὶ κεῖσαι
βλεφάρων σκοτεινὸν
φάρος ἐπικαλύψαν.

3. Quam vt adipiſcantur omnes optant, eādem accuſant adepti] *Accepit hanc ſententiam ex Menecrate poëta, cuius verſus extant apud Stobæum:*

γῆρας ἐπὰν μὲν ἀπῇ, πᾶς εὔχεται·
ἢν δ' ἔποτ' ἔλθῃ, μέμφεται, &c.

4. Noſtroq. cognomine] *Vetus liber* Veſtróque cognomine.

5. Pares autem cum paribus] *Ariſtoteles libro* II. *Rhet.* ἧλιξ ἥλικα τέρπει.

6. Nec herculè, inquit, ſi ego Seriphius eſſem, nobilis]

nobilis] *Faërnus ſecutus veterum librorum auctoritatem, emendauit* ignobilis. *Sed contra eum facit Platonis locus in* 1. *Pol. vnde Ciceronem hæc ſumpſiſſe manifeſtũ eſt:* ἀλλὰ τὸ τοῦ θεμιστοκλέους εὖ ἔχει, ὃς τῷ Σεριφίῳ λοιδορουμένῳ καὶ λέγοντι, ὅτι οὐ δι' αὐτὸν, ἀλλὰ διὰ τὴν πόλιν εὐδοκιμεῖ, ἀπεκρίνατο, ὅτι οὔτ' ἂν αὐτὸς Σερίφιος ὢν ὀνομαστὸς ἐγένετο, οὔτ' ἐκεῖνος ἀθηναῖος.

7. Vnus homo nobis] Vnus qui nobis, *habent veteres libri omnes.*

8. Optimis auſpiciis ea geri] *Ad Homericũ illud reſpexit,* εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

9. Et tamen ipſius] *Vetus liber*, tum ipſius Appij, &c.

10. Tertius hic & triceſimus annus eſt] hic quintus & triceſimus eſt annus: *& paulo pòſt*, decem annis, *pro* nouem, *habet antiquus liber.*

11. Quod ſi legere aut audire] *Ita vetus codex, & melius, quàm recentiores libri*, & audire. *& paulo pòſt*, prudentia ſeneſcentis *pro* ſenectutis, *venuſtior lectio: vt* ſeneſcentis *opponatur verbo* florentis. *conuenit autem hæc ſententia cum Ariſtotelis illis in libro* VI. *Politic.* ἡ μὲν δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις.

12. Vt Solonem verſibus gloriantem videmus] *Solonis verſus eſt,*

γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

13. Tertiam enim iam ætatem] τριτάτην γενεὴν, *Homerus. & paulo infrà*, μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή, *quod Cicero dixit*, Melle dulcior fluebat oratio.

14. Maſſaniſſa] Maſſiniſſa *ſcribendum eſt ex auctoritate æneæ tabellæ, quæ eſt apud me inciſam habens Thoriam legem, in qua de agris fit mentio, qui donati à Senatu populoq; Rom. fuerunt regi Maſſiniſſæ.*

15. Qui

15. Qui in amicitia populi Romani permanſerat] *Antiqua formula: quæ in fragmento Thoria legis, cuius ſuprà meminimus, ita reperitur*: Quei eorum in amicitiam populi Romani bello Poinicio proximo manſerunt. *& in vetuſtiſſimo apud me ſenatus conſulto Græcè ſcripto, quod M. Lepido, Q. Catulo Coſſ. in æs inciſum fuit*, τῶ διὰ τέλυς ἐν τῇ φιλίᾳ τῶ δήμω τῶν ῥωμαίων μεμενηκυιῶν.

16. VII. annis poſtquam conſul fuiſſet] VIII. annis *habet antiquus liber.*

17. C. Duillum] Duelium *habet vetus liber, & ita ſcribebant antiqui.*

18. Bona ætas] Mala ætas *Senectus dicitur ab Afranio in illo verſu,*

Mala ætas nulla delinimenta inuenit.

19. Aſſiduiq. domini referta cella vinaria, olearia, mellaria, & penuaria eſt] *Ita ſcriptum eſt in antiquo, cùm in vulgatis deſit vox* mellaria.

20. Quod vt quiſq. ætate antecellit] *Vide num melius ſit* antecedit, *vt eſt in antiquo.*

21. Nullæ omnino ciuitates fuiſſent] *Vetus liber,* eſſent.

22. Et tamen mortem contemnere] *Totum hoc deeſt in manuſcripto.*

23. Is qui eſſet omnium ſapientiſſimus oraculo Apollinis iudicatus] *Ita ſcriptum eſt in antiquo, cùm in vulgatis deſit vox* omniũ, *quæ tamen neceſſaria eſt, ſi modò Græca oraculi verba expreſſit Cicero, quæ ſunt:* σοφὸς σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' εὐριπίδης, πάντων δὲ σοφώτατος σωκράτης.

24. Sic me colitote, inquit, vt Deum] *Verbum* inquit, *non habet manuſcriptus liber, & omnino videtur abundare.*

IN LÆLIVM SIVE DE AMICITIA.

1. Ne inquam & inquit ſæpius interponeretur] *Sumpſit hoc à Platone, cuius ex Theæteto hæc ſunt:* ἵνα οὖν ἐν τῇ γραφῇ μὴ παρέχοιεν πράγματα αἱ μεταξὺ τῶν λόγων διηγήσεις περὶ αὑτοῦ τε ὁπότε λέγοι ὁ Σωκράτης. οἷον κἀγὼ ἔφην, ἢ καὶ ἐγὼ εἶπον. ἢ αὖ περὶ τοῦ ἀποκεινομένου, ὅτι συνέφη, ἢ οὐχ ὡμολόγει, τούτων ἕνεκα, ὡς αὐτὸν αὐτοῖς διαλεγόμενον ἔγραψα, ἐξελὼν τὰ τοιαῦτα.

2. Quòd autem his Nonis in collegio noſtro nõ affuiſſes] noſtro *deeſt in manuſcripto.* Adeſſe *autem* in collegio, *antiqua formula eſt, quæ reperitur in inſcriptionibus Fratrum Arualium,* In collegio. adfuerunt Sulpicius. Camerinus. magiſter. L. Piſo. L. F. T. Sextius. Africanus. M. Aponius. Saturninus. L. Saluius. Otho. Titianus.

3. Qui hæc nuper diſſerere cœperunt] *Pomponij liber habet* aſſerere *pro* diſſerere.

4. Qui ſequantur, quantum homines poſſunt, naturam optimam bene viuendi ducem] *Aliter in manuſcripto hic locus notatus eſt* : Qui aſſequuntur quantum homines poſſunt natura optima rectè viuendi duce.

5. Principiò quæ poteſt eſſe vita vitalis] cui poteſt eſſe *habet liber manuſcriptus. in* III. *de Officiis* vtilis *legitur pro* vitalis.

6. Verum etenim amicum qui intuetur] *Ita eſt in manuſcripto.*

7. Propenſiores ad bene merendum, quàm ad repoſcendum] promerendum *eſt in libro Pomponi Læti, quod magis placet.*

8. Sin autem ad adoleſcentiam perduxiſſent]

perueniſſent

peruenissent *vetus liber.*

9. Hæc igitur prima lex in amicitia sanciatur] prima *deeſt in manuſcripto.*

10. Vt ab amicis in magna re aliqua in Remp. peccantibus non diſcedant] *Vetus liber,* Vt ab amicis in Rep. peccantibus non diſcedant.

11. Ergo hoc proprium eſt animi bene conſtituti] inſtituti *pro* conſtituti *habet liber manuſcriptus.*

12. Quàm eius qui dixiſſet ita amare oportere, vt ſi aliquando eſſet oſurus] *Ariſtoteles lib.* 11. *Rhet.* ὀ δεῖ, ὥσπερ φασὶ, φιλεῖν ὡς μισήσοντα, ἀλλὰ μᾶλλον μισεῖν, ὡς φιλήσοντα. *eadē ſentētia vſus eſt Sophocles in Aiace.*

13. Eſt igitur prudentis ſuſtinere vt curſum nauis, ſic impetum beneuolentiæ] *Ita videtur legēdum ex auctoritate libri manuſcripti. in vulgatis autem deeſt* nauis, *quæ vox neceſſaria videtur, vt ſimilitudo referatur ad Platonis locū in lib.* x. *De legibus, in quo eſt:* καὶ καθάπερ ποταμὸν ἡμᾶς ἔδει, &c. καὶ ἐν ἀσφαλεῖ σκέψασθαι εἰ διαβατὸς εἴη.

14. Suosq. omnes poſſe per ſe eſſe ampliores volebat] *Vetus codex habet,* per ſe poſſe eſſeq. ampliores, &c.

15. Quæ meminiſſe debet is in quē collata ſunt] *Videtur reſpexiſſe ad Græcum prouerbium,* χάειν λαβὼν μέμνησο, καὶ δοὺς ἐπιλάθου.

16. Et alterum acquirit] inquirit *legit Pomponius Lætus in libro à ſe exſcripto: & infrà* inquirat, *pro* acquirat: & inquirendi, *pro* acquirendi. *placet autem* anquirit, anquirat, & anquirendi, *vt eſt in alio manuſcripto.*

17. Cui narraret non habuiſſet] *Ita eſt in manuſcripto, cùm in aliis deſit particula* non, *ſine qua huius loci ſententia percipi vix poteſt.*

18. Quam-

18. Quamuis enim multis nominibus] *Vetus liber*, quàm multis enim nominibus, *& ita legendum puto.*

19. P. Rutilij A. Virginij] *Vetus liber habet* P. Rutilij Virginiani, *vt ſit Virginius adoptatus à P. Rutilio.*

IN PARADOX. I.

1. Neque enim vmquam expletur neque ſatiatur cupiditatis ſitis] *Ariſtoteles lib.* 11. *Pol.* ἔτι δὲ ἡ πονηρία ἀνθρώπων, ἄπληστον. καὶ τὸ πρῶτον μὲν ἱκανὸν διωβολία μόνον. ὅταν δ' ἤδη τοῦτ' ᾖ πάτριον, ἀεὶ δέονται τοῦ πλείονος, ἕως εἰς ἄπειρον ἔλθωσιν. ἄπειρος γὰρ ἡ ἐπιθυμίας φύσις.

2. Gloriatione ſeſe & prædicatione extollit] *Antiquus liber habet*, Gloriando ſe etiam prædicatione effert.

IN PARADOX. III.

3. Peccauit verò nihilominus] peccatum, *eſt in libro manuſcripto, & fortaſſe melius.*

IN PARADOX. IV.

4. Rationibus vincam neceſſariis] *In manuſcripto eſt* aduincam, *pro quo amicus meus reponebat*, conuincam.

IN PARADOX. V.

5. Quid eſt enim libertas niſi poteſtas viuendi vt velis?] *Ita legitur in antiquo, & rectè; cùm in aliis deſit aduerbium*, niſi.

IN PARADOX. VI.

6. Et ſola marmorea facienti] *Verbum* facienti *abeſt ab antiquo libro, & certè videtur eſſe gloſſema.*

IN SOMNIVM SCIPIONIS.

1. In te vnum atq. in tuum nomen] *Sic legitur in*

manuſcripto codice, & melius, vt videtur, quàm in vulgatis.

2. Ac difinitum locum] deſtinatum *pro* difinitũ *habet liber manuſcriptus.*

3. Erant autem eę ſtellæ quas numquam ex hoc loco vidimus: & eæ magnitudines omniũ quas eſſe nunquam ſuſpicati ſumus] *In manuſcripto hic locus aliter legitur:* Erant autem eæ ſtellæ, quas numquam vidimus: & eæ magnitudines, quas nunquam ſuſpicati ſumus.

4. Contrario motu atque cęlum] *Vetus liber* cõtra cælum.

5. Quæ ſi tibi parua vt eſt ita videtur] *Abeſt ab antiquo codice aduerbium*, ita, *& rectè, vt puto.*

6. Sed partim obliquos, partim trauerſos, partim etiam aduerſos] *Manuſcriptus habet*, ſed partim obliquos, partim auerſos, partim etiam aduerſos.

7. Ita quandocunque] quandoque *legitur in libro manuſcripto, & ita omnino legendũ eſſe multis exẽplis confirmare poſſum. nec in Ciceronis tantùm ſcripta inuaſit hic error, ſed in alios etiam ſcriptores, apud quos* quandocunq. *irrepſit ſæpe, pro* quandoque.

8. Quod autem anima eſt] *Lambinus habet* animal eſt, *ſed rectius in manuſcripto* animans.

9. Velociter in hanc ſedem] *Legendum* velocius, *vt eſt in antiquo codice.*

IN FRAGMENTVM HORTENSII.

* Vt ij, qui purpuram volunt] *Vel mendum ſubeſt in verbo* volunt, *vel aliquid deeſt ad ſentẽtiam. recentiores Nonij editiones habent*; vt ij qui purpuram combibi volunt, *quod placet: quæ autem ſequuntur, ſimilia*

milia ſunt iis, quæ de Xenocrate narrantur: πρὸς ξενοκράτην τὸν φιλόσοφον ἐλθών τις φιλοσοφῆσαι, μήτε γεωμετρίαν, μήτε ἀστρονομίαν μεμαθηκώς, τοῦτον εἰπεῖν, παρ' ἐμοὶ πόκος οὐ κνάπτεται.

IN LIB. I. AD P. CORNELIVM LENTVLVM. EPIST. I.

1. Libonis, & Hypſæi] Hupſæus *in veteribus nũmis modò cum aſpirationis nota reperitur, modò ſine vlla aſpiratione* Ypſæus. *eſt autẽ cognomen Plautiæ familiæ, nobilis triumpho de Priuernatibus, quem egit Plautius Decianus conſul anno* CDXXIIII.*Kal. Mar.*

EP. III.

2. Et noſtra ceterorumq. amicorum commendatione gratiſſimus in prouincia fuit] *Pro* gratiſſimus, *in vetere apud me libro, cuius bonitatem in pluribus perſpexi, ſcriptum eſt* gratioſiſſimus. *quæ lectio videtur multo melior, quàm ea, quæ vulgò circumfertur.*

EP. IV.

3. Alexandriam] *Scribendum* Alexandream. *ita enim poſcit illorum temporum ſcribendi conſuetudo, quã cùm in aliis veteribus monumentis obſeruaui, tum in denario argenteo M. Lepidi, in quo inciſum eſt,* ALEXANDREA, *ſiue* ALEXSANDREA.

EP. VI.

4. Maximè ſcilicet conſolatur ſpes] *Puto Ciceronem ſcripſiſſe* maximè conſolatur, *atq. his verbis additum fuiſſe gloſſema* ſcilicet ſpes, *quod poſtea (vt videtur) in ſeriem receptum à librariis fuit: vt id credã, facit liber collatus à doctiſſimo viro cum codice manuſcripto, à quo abeſſe hæc duo verba cognoui.*

EP. VII.

5. Eam eſſe naturam & regionem prouinciæ tuæ] rationem *pro* regionem *libentius legerem: primũ, quia ita in veteribus libris inuenitur; deinde, quòd ſimilis error in Lucretij quoq. verſum inuaſit lib.* I.

Nam tibi de ſumma cæli ratione Deumq́.
Diſſerere incipiam, &c. *malè enim prius* regione *legebatur pro* ratione, *vt eſt à Giſanio ſuper eo verſu notatum.*

EP. VIII.

6. Optimè ex Emplatorio cognoſces] *Quamuis ſponſione contenderem* M. Plætorio *legendum eſſe, non vt quidam emendarunt* C. Plætorio: *ex veteribus enim libris cognoſcere facile poſſumus litterarũ factam fuiſſe in hoc nomine ſcribendo à librariis transpoſitionem.* M. *autem* Plætorius *frequens eſt in veteribus denariis.*

7. Cui iucundum erit etiam propter id ipſum] *Puto aduerbium* propter *eſſe additamentum alicuius, qui locum voluerit gloſſemate illuſtrare.*

EP. VIIII.

8. Cùm tu Hiſpaniam citeriorem cum imperio obtineres] *P. Lentulum opinor Hiſpaniam obtinuiſſe, non ex pratura, vt quidam putant, ſed Quæſtorio imperio extra ordinem ex* S. C. *vt ex ipſius Lẽtuli denario intelligere poſſumus, in quo inſcriptum eſt,* P. LENT. P. F. L. N. Q. S. C. *conſtat autem eum denarium Oſcæ percuſſum fuiſſe, quæ eſt Hiſpaniæ vrbs, in qua argentum ſignatum à Quæſtore fuiſſe veriſimile eſt.*

9. Si iis pro me ſtante pugnare licuiſſet] libuiſſet *vnius litteræ mutatione libentius legerem, veteribus etiam libris non repugnantibus.*

10. Promulgantibus omnibus] *In libro manuſcripto additum eſt* Tribunis plebis; *quod tamen neceſſarium*

ceſſarium non videtur, cùm ſuprà dixerit vnius Tr. pl.

11. Sed vt in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt etiam ſi portum tenere non queas: cùm verò id poſſis, mutata velificatione aſſequi ſtultum] *Totū hunc locum ita lego*, Sed vt in n.t. obſequi artis eſt, & ſi portum t. n. queas cùm id poſſis mutata velificatione aſſequi ſtultum eſt. *huius autem lectionis auctorem habeo partim librum manuſcriptum, à quo abeſt aduerbium* verò; *partim coniecturam viri doctiſſimi, qui* etiam *in & mutandum putat.*

12. Quantum ſtudiis veteribus noſtris delectationibus conſequi poterimus] *In libro qui eſt apud me manuſcriptus, rectius, vt opinor, legitur*, quantum ſtudiis veteribus noſtris delectationis conſequi poterimus.

13. Legem curiatam conſuli ferre opus eſſe neceſſe non eſſe] *Ant. Auguſtinus legit* ſibi neceſſe non eſſe: *addita voce* ſibi, *quæ deſiderari omnino videtur.*

IN LIB. II. AD CVRIONEM.

EP. III.

14. Domeſticarum enim rerum tuarū habes & ſcriptores, & nuntios] domeſticos *habet antiquus liber, pro* domeſticarum: *& ita opinor ex loco ſimili legendum eſſe.*

EP. V.

15. Cùm Sex. Villium Milonis mei familiarem] *Ita eſt in manuſcripto. Manutius autem fecit* Sex. Iulium. *mihi placeret* Seruilium.

EP. VI.

16. Et ex mea ſententia Remp. geſſimus] Rem

geſſimus *magis placet, vt eſt in antiquo.*

EP. VII.

17. Iam iidem illi & boni & mali ciues vidētur qui nobis videri ſolent] eidem *Ant. Auguſtinus rectè emendat, pro* iidem.

EP. IX.

18. Antiochia] Antiochea *eſt in veteribus libris, quomodo in antiquis quoq. monumentis ſcriptum reperitur, atq. eadē ratione, qua* Alexandrea *pro* Alexandria: *extat etiam apud me æreus nummus, in quo inciſum eſt,* GENIO ANTIOCHEÆ.

EP. XI.

19. Non erat minor ex contemnenda quàm ex conſeruata prouincia] contempta *habent aliquot veteres libri, quamuis* contemnenda *ferri etiam poſſit.*

EP. XII.

20. Militaremq. rem collocaſſem] *Vide num rectius ſit in antiquo libro,* militemq. in ea collocaſſem.

EP. XVI.

21. Caninio Salluſtio] Canio Salluſtio, *in veteribus libris ſcriptum eſt: vt quin* Caio Salluſtio *ſcribendum ſit, dubitari non poſſit.*

22. Non erat incommodum te nullam referre] *Alij* non erat incommodum te ni illas referre *auctoribus libris veteribus. paulo pòſt,* Præter Quæſtores vrbanos, id eſt populum Romanum, *habet vetus liber* Præter Quæſtores, & Præfectos.

23. Videbam idem ceteros exiſtimare] certos *habet vetus liber: & fortaſſe non malè.*

24. Equitibus auxiliariis inquit cùm amplius frumenti poſtularemus] *pro* frumenti *ſcriptum eſt in vetere libro* ſupplementi; *& ita neceſſariò videtur ſcribendum ex loco ſimili in epiſt.* III. *lib.* III. *ad Appiū.*

Cenſebant

Cenſebant enim omnes ferè vt in Italia ſupplemẽtum meis & Bibuli legionibus ſcriberetur.

EP. XVII.

25. Quos video deinceps Tribunos Pl. per triẽnium fore] videre videor *eſt in antiquo libro, quomodo legendum opinor.*

IN LIB. III. AD APPIVM.

EP. I.

26. Melius enim ei cauere volo] caueri *legitur in libro manuſcripto, & fortaſſe melius, quàm in vulgatis.*

EP. IV.

27. Id mihi ne mentiar gratum eſt] *Ex libri manuſcripti corrupta ſcriptura legendum puto*, id mihi vehementer gratum eſt.

EP. VIII.

28. Non ad generum tuum Lentulum] *Vetus liber non habet*, Lentulum*: & certè poteſt eſſe gloſſema.*

29. Et quadam diſſimilitudine inſtitutorum meorum ac tuorum lædi ſe putat] te putat *legendum ſuſpicor, ita poſtulante ſententia.*

EP. XII.

30. In quo vnum modò vereor] *Veterum librorum, quos ego vidi, conſenſus mouet me, vt de manuſcripta lectione non dubitem, quæ* modò vereor *habet, pro eo quod eſt in vulgatis,* non vereor.

EP. XIII.

31. Velim ita fortuna tuliſſet] *Magis placeret,* vellem ita fortuna tuliſſet. *eſt enim vſitatior forma aliquid optandi.*

IN LIB. IV. EP. IX. AD SVLPICIVM.

32. Eum magis communem cenſemus in victo-

ria futurũ fuiſſe, quàm incertis in rebus fuiſſet] comem *pro* communem *legebat amicus meus homo doctiſſimus, qui ſe hanc lectionem in antiquo libro reperiſſe affirmabat.*

33. Et ſi Republica non poſſis frui, ſtultum eſt nolle priuata] ſtulti ſit, *eſt in vetere libro; quæ lectio melius cum ſuperioribus coniungitur.*

EP. XII.

34. Tamen quoniã caſus & natura in bonis dominãtur] *Ant. Auguſtinus* in naturæ bonis *legendum exiſtimat: mihi tamen* nobis, *pro* bonis *magis placet, deleta ſcilicet macula, quæ ex tranſpoſitione (vt videtur) litterarum inhæſit.*

35. Supra Maleas] ſub Kal. Iunias *emendabat Octauius Pantagathus ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis, vt dicebat.*

EP. XIII.

36. Nec audio ſolum quod ipſum eſſet miſerũ, ſed etiam id ipſum video] id ipſum *ſuſpicor abũdare.*

IN LIB. V. AD METELLVM.

EP. II.

37. Atq. ille quod te audiſſe credo] At ille, *ex ingenio Ant. Auguſtinus. pro* credo *autem legebat Pantagathus,* certo. *& paulo pòſt, pro,* in aliquo magiſtratu, *vetus liber habet* annuo magiſtratu. *ſed ſententiæ aptius eſſet,* minimo, *vt ſit* ἀντίθετον *vocis quæ ſequitur,* conſulem.

EP. X.

38. De Catilio neſcio quid ad me ſcripſiſti] *De Catilia familia non memini me apud ſcriptores quidquam legiſſe; quo fit vt ſuſpicer legẽdum eſſe* C. Atilio.

EP. XIII.

39. Itaq. hoc etiã fortiorem me puto quàm te] *In vetere libro ſcriptum eſt*, atq. hoc fortiorem: *quæ lectio multo, quàm vulgata videtur melior.*

EP. XVI.

40. Deceptus eſſe videatur] direptus, *vel* ereptus *alij*.

41. Ne quid iis quos amaſti mali putes contigiſſe] amiſiſti *magis placet, quàm* amaſti, *veteribus libris præſertim confirmantibus.*

EP. XIX.

42. Rufo] *In vetere quodam libro* Meſcinio Rufo *hæc epiſtola inſcribitur, & rectè: eſt enim* Rufus *Meſciniæ familiæ cognomen.* L. *autẽ huius* Meſcinij Rufi, *ſiue eius, vt ego puto, filij mentio eſt in Auguſti denariis, quos cùm eſſet Triumuir monetæ cudẽdæ ſignauit cum titulo* L. MESCINIVS L. F. RVFVS III. VIR.

EP. XX.

43. Non habui cui potius id negotij darẽ quàm ſcribæ meo] *Pantagathus aliter legit*, non habui cui potius id negotij darem quom darem illud &c.

44. Quod ego nunquam addidi] *Ant. Auguſtinus* quod ego tunc non addidi. *alij*, quod ego quidẽ non addidi, *ſed nimis longè à vulgata ſcriptura, quãuis veteres libros ſe auctores habere dicant.*

45. Quando de Lucceio parum prouiſum eſt] *Pãtagathus* quom de Logæo, *vel* quom de Lucceio parum gratioſum eſt.

IN LIB. VI. AD TORQVATVM.

EP. I.

46. Nefas ſit dicere] *Videtur deeſſe*, non, *vt legatur*,

tur, nefas non ſit dicere.

47. Sed quoddam nobis officiũ iuſtum & pium & debitum Reip. noſtræq. dignitati videbatur, qui neq. cùm id faciebamus] *In vetere quodam libro aliter hic locus ſcriptus reperitur, nihilo tamẽ meliore ſententia.* Sed quoddam nobis officium iuſtum & piũ & debitum Reip. noſtræq. dignitati videbamur ſequi, neq. cùm id faciebamus.

48. Philargyrus tuus] *In eburnea quadã apud me tabella, quæ* CN. POMPEI *&* M. CRASSI COS. *nomina habet inſcripta*, PILARGVRVS LVCILI *libertus notatus eſt.*

EP. III.

49. Quam quemuis eorum qui diſceſſerint alteri dimicant] *Ita Pantagathus.*

EP. IV.

50. Non quo ego certò ſcirem, ſed quòd non difficilis erat coniectura] *Pantagathus*, Non quorſum, quod difficilis erat coniectura.

EP. VI.

51. Cùm ille aliquando non defuiſſet meæ] *Ex loco ſimili in epiſtola ad Atticum, puto legendum eſſe*, cùm ille aliquando defuiſſet meæ.

52. Nec manens nec mutata ratio feret] *Amicus meus legebat*, nec communis vitæ ratio feret. *nimis à vulgata ſcriptura recedens.*

EP. VII.

53. Cùm ignorit omnibus qui multa deos venerati, multa precati ſint contra eius ſalutem] *Ita hic locus legitur in libro apud me manuſcripto, cùm in aliis deſint illa*, multa precati.

54. Sed totum tuum eſſe onus perficies] *In vetere libro ſcriptum eſt*, ſed totum tuum eſſe omne onus perficies;

perficies; *vt fortaſſe legendum ſit*, ſed totum tuũ eſſe, omnia vnus perficies.

EP. VIII.

55. T.Furfano] Furfanio *legendum hîc eſſe, & in epiſtola quæ proximè ſequitur, conſtat cùm ex veteribus libris, tum ex hac inſcriptione, quæ Romæ reperta eſt ad portam Capenam,*

Q. FVRFANIO. C. F.
NIGRINO
PROC. FABRORVM &c.

EP. X.

56. Trebiano] *Antea legebatur* Trebatio: *poſtea Paulus Manutius veterum librorum ſecutus ſcripturam, reſtituit* Trebiano: *atq. ita planè eſt in manuſcripto apud me codice. ego tamen* Trebanio *legendum puto ex auctoritate argentei nummi, & item ærei, in quibus* L. Trebani *inciſum eſt. errorem autem ex trãſpoſitione litterarum fluxiſſe arbitror ab imperitis librariis facta, qui* Trebiano *ſcripſerint pro* Trebanio.

57. Cum omni gradu ampliſſimo digniſſimus] dignitatis *pro* digniſſimus *eſt in veteribus libris.*

EP. XII.

58. Ne tu quidẽ in iſtis incommodis eſſes] *Cùm in manuſcripto libro ante verbum* eſſes, *legatur* non, *videtur pro* ne *ſcribendum eſſe* næ, *vt ſit*, næ tu quidẽ in iſtis incommodis non eſſes, *elegantiore, vt videtur, ſententia.*

IN LIB. VII. AD MARIVM.

EP. I.

59. Quid? ne id quidem leporis habuerunt] *Videtur ſcribendum* qui ne id quidem leporis habuerunt.

60. Et equitatus in aliqua pugna] *Pro* aliqua *videtur legendum* Iliaca, *vel* Attica, *vel aliquid tale, vt rectè coniecit Ant. Auguſtinus.*

61. Homini politico] *Vetuſtus liber habet* polito; *quem Græci vocant* χαρίεντα.

EP. V.

62. Vel regem Galliæ faciam, vel Leptæ legatũ] *Octauius Pantagathus exiſtimabat hunc locum non vacare mendo, atq. ita corrigebat ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis* Vt me regem Galliæ faciam Leptæ delegabo. *quid ſi legas?* vel leg. III. legatum, *pro* Leptæ legatum.

EP. XI.

63. Quam omnes Samarobrinæ] Sabarobriuæ *ſcribendum eſſe ex auctoritate Strabonis, & veterum librorum, docui in annotationibus in Cæſarem.*

EP. XII.

64. Vt inter bonos bene agier oportet] *In veteribus libris eſt*, inter bonos bene agier *ſine particula* vt, *& ſine verbo* oportet; *& ita videtur legendum.*

EP. XIII.

65. Et tu ſoles ad vim faciendam adhiberi] & tu ſoles ad vim facundiam adhibere, *eſt in manuſcripto apud me libro.*

EP. XVIII.

66. Vt iſte tuus à me diſceſſus fructuoſiſſimus tibi ſit] *Lego*, quàm fructuoſiſſimus tibi ſit: *eſt enim in manuſcripto mendosè*, tam fructuoſiſſimus.

67. L. Arruntio] *Quidam ſcribunt* Aruntio, *vnico* r, *ſed malè: extat enim apud me tabella ænea, in qua ita inciſum eſt:*

SVB.

SVB. L. ARRVNTIO
STELLA
NAVIS. HARENARIA
QVÆ. SERVIT
IN. ÆMILIANIS

EP. XX.

68. Vt ſi eſſet vnus è nobis] *Vetus liber habet*, vt ſi eſſet vnus homo nobis, *meliore, vt videtur, lectione.*

EP. XXIIII.

69. In conſilium iri neceſſe erat] *Magis placeret* ire, *vt ad Ciceronem referatur, ob ea quæ ſequuntur. Eſt autem antiqua formula, qua in fragmento etiam Seruiliæ legis reperitur, quod extat apud me in ære inciſum*: Verba. audeire. in. conſilium. eire. iudicare. liceat. neiue. iudicium. dimittere. iubeto. niſei. quom. ſenatus. &c.

70. Reſpondi nullo modo me facere poſſe cùm vellem alium diem ſi ſumpſiſſet] *Vide num melius legatur*, reſpondi nullo modo me facere poſſe: quem vellet alium diem ſi ſumpſiſſet.

EP. XXV.

71. Atq. ego quidem] *Rectius legitur in manuſcripto*, atqui ego quidem.

EP. XXX.

72. Maximo meo beneficio eſt] *Manuſcriptus liber habet* M. m. beneficio affectuſt.

EP. XXXII.

73. De rebus vrbanis, de Rep.] *Quidam putant ſcholium eſſe* de Rep. *abeſt enim a veteribus libris.*

EP. XXXIII.

74. Et illis interioribus litteris meis] *Antiquus codex habet*, & illis interioribus litterulis.

IN LIB. VIII. COELII AD CICERONEM. EP. I.

1. Q. Pompeium Baulis embæneticam facere] Epibaticam *eſt in manuſcripto quodam libro : quæ vox eundem ſenſum efficit. Pantagathus legebat* embibaticam.

EP. IV.

2. M. Cœlium Vicinianum] Vinicianum *eſt apud Hirtium in vetuſtiſſimo apud me libro, vt ſit Vinicius adoptatus à Cœlio, quomodo hîc legendum arbitror. Vinicia autem gens frequens eſt in* L. Vinicij *denariis cuſis ſub Auguſto. Aliud autem agebat Manutius cùm ſcripſit ſe vidiſſe apud me nummũ argenteum, in quo eſſet Cœlij huius Viniciani mentio: extat enim apud me non Cœlij, ſed* CRASSI. IVNIANI *denarius, cuius ego auctoritatem ſecutus, locum Ciceronis reſtitui in ep.* VIII. *lib.* II. *ad Q. Fratrem.*

EP. V.

3. Sanè tanquam in quodam ſilice iam omnia adhæſerunt] *Pantagathus ex antiquis libris,* ſanè tãquam in quodam vecta lintre omnia adhæſerunt.

EP. VI.

4. Et hercule confecta omnia fœda & inhoneſta ſunt] *In manuſcripto, pro* cõfecta *ſcriptum eſt* cõſilia. *Pantagathus autem legebat* Et hercules confecta omnia fœda & inhoneſta ſunt. *vel,* & hercules coëmpta omnia fœdere.

5. Legemq. viariam] viuariam *Pantagathus. & paulo pòſt,* queis iubet ædiles metiri.

EP. VII.

6. Nuptura eſt D. Bruto. nondum retulerat] mundum retulerat *Pantagathus: qua quidem emendatione*

datione nihil poteſt aptius excogitari, ſiue ex ingenio ea ſit, ſiue ex libris veteribus.

7. Vbi hercule ego minimè vellē] *Nō dubito quin* nollem *legendum ſit pro* vellem.

EP. VIII.

8. Calumniam maximo plauſu tuliſſe] *Daneſius* iuraſſe *ſcribit pro* tuliſſe *auctoribus libris manuſcriptis, quibus valdè aſſentior: in fragmento enim æneo legis Seruiliæ, quod eſt apud me ex muſeo Petri Bembi tranſlatum, ita inciſum eſt*· Ad. ioudicem in. eum. annum. quei. ex. H. L. factus. erit. in. ious. educito. nomenq́. eius. deferto. ſei. deiurauerit. calumniæ. cauſa. non. poſtulare.

9. Si quid iniuriis ſuis eſſet quo Veſtorius teneretur] *Pantagathus*, ſi quod iniuriis ſuis eſſet vt Veſtorius teneretur. *idem paulo pòſt, pro* præuaricationisq́. cauſſam diceret depoſitum, *rectè (vt opinor) ſcribebat*, præuaricationisq́. cauſſa deieret depoſitū. *& infrà*, A quodam Druſo tettio.

10. Et ad extremum vt ſolet ait referam] *Manuſcriptus habet*, & ad extremum abſolutum ait referā.

11. L. Vicinius] Vinicius *ſcribendum: quod eſt nomen familiæ in veteribus monumentis frequens.* Vicinia *autem gens apud ſcriptores, quod ſciam, non reperitur.*

EP. IX.

12. Agit cauſam liberaliter] liberalius, *Pantagathus.*

13. Impera tibi hoc cura] *Placeret*, Impera tibi hoc curæ: *atq. ita eſt in codice manuſcripto.*

14. M. Fetidium] Fufidium *habet antiquus liber, notum Romanæ familiæ nomen à* Fufiis *ductum; cùm* Fetidia *nuſquam inueniatur.*

15. Agros quos fructuarios habent ciuitates] *Pantaga-*

Pātagathus,agros quos fructuarios habet Cybiratis.

16. Fauonium] Faonium *ſcribendum videtur ex auctoritate veteris lapidis,cuius exemplum ſubieci: & quidem rectè ſi à φάων nomine, hoc nomen deductū eſt:*

FAONIO. PATERNO. EX. EVOCAT
QVI. SE. PROBAVIT. AN. XVII.
MILITAVIT COH. XI. VRB. ANN.
XIII. PANT. LEG. X. GEM. VIXIT
ANN. LVIII. M. VNO. DIES. XIIII.&c.

17. Optimus quiſq. enim non fecit] *Vetus liber* nihili fecit*: quod placet.*

18. Pompeius tuus apertè Cæſarem vetat prouinciam tenere cum exercitu,& cõſulem eſſe] *Melius (vt videtur) hic locus legitur in manuſcripto*, Pompeius tuus moleſtè fert Cæſarem & prouinciam tenere cum exercitu & conſulatum petiturum eſſe.

EP. XI.

19. Decrerãt qui iniquè tranſigi volebant] *Pantagathus mendum olim his verbis ineſſe ſuſpicatus, emendarat ex ingenio*,ſed erant qui iniquè &c. *Videtur autem rectius eſſe in manuſcripto*, nec deerant qui id nunquam tranſigi volebant &c. *paullo ſuprà idem Pantagathus pro* hoſtibus *optima coniectura legebat* hoſtiis: *&*,qui elocutus honorificè,*pro*,qui de te iam locutus honorificè.

20. Scena totius rei hæc] ſumma totius rei hæc, *habet liber manuſcriptus,longè quàm vulgati melius.*

EP. XII.

21. Poſtea non deſtitit accerſere palam Seruilium] *Videtur legendum* Polam Seruilium *ex loco ſimili in epiſtola ad Atticum: & paulo infrà*, vix hoc erat Pola elocutus &c.

EP.

EP. XIII.

22. Stomacho eſt ſcilicet Pōpcius Magnus nūc ita languenti] *Verba* ſcilicet Pompeius *additamentum eſſe nemo non videt. itaq. meritò in ſuis editionibus ea reiecit Lambinus.*

23. Quemadmodum hoc Pompeius laturus ſit cùm cognoſcat aut quid nam Reip. futurum ſit, ſi nō curet vos ſenes diuites videritis] *Ita legebat hunc locum Pantagathus.*

EP. XIV.

24. Omnino ſat ſpatij ſit] *Liber manuſcriptus* omnino ſatis patefit.

EP. XVII.

25. Quod vtinam aut non Appius Claudius] *Ita interpungebat Pantagathus.*

IN LIB. IX. AD VARRONEM.

EP. VI.

26. Se in Alſienſe venturum] *Vbi fuerit Alſium didicimus nuper ex vetuſti lapidis fragmento, quod in* Alexandri Farneſij Card. *Palo, villa amœniſſima ad mare, non longè à Caere oppido erutum eſt cum hac inſcriptione:*

IMP. II. COS. III. PROCOS

IMP. CÆS. L. SEPTIMI. SEVERI. PII PERTINACIS. AVG. ARAB. ADIAB PARTH. MAX. BRIT. MAX. FORTISSIMI FELICISSIMI. PONT. MAX. P. P. FILIO DIVI M. ANTONINI. PII. GERM. SARM. NEPOT. DIVI. ANTONINI. PII. PRON. DIVI. HADRIANI. ABN. DIVI. TRAIANI PARTH. ET. DIVI. NERVÆ. ADNEPOT. OB INSIGNES. VIRTVTES EIVS

DECVR-

DECVR. COLON. ALSIENSIS. D. D. *Rectè itaq. recentiores Geographi Alſium eſſe dixerũt, quod nunc Care appellatur, his etiam Plinij verbis adducti ex cap. v. lib.* III. Grauiſcæ, Caſtrũ nouum, Pyrgi, Cæretanus amnis, & ipſum Cære intus millia paſſuum quattuor Agylla à Pelaſgis cõditoribus dictũ, Alſium, Fregenæ.

EP. VII.

27. Eum puto magiſtrum fore] *In libro manuſcripto rectius (vt opinor) ob ea quæ ſequuntur* πολλοὶ μάθηταὶ, *ſcriptum eſt*, ei me puto magiſtrum fore.

EP. X.

28. Cum Sophia Septimia] *Pantagathus legebat* Septimiæ *gignendi caſu.* Antequam certum ſcierit] *Ant. Auguſtinus* ſciret *emendat pro* ſcierit.

EP. XII.

29. Et amico munuſculum mittere volui leuidenſe craſſo filo] *Vox* Leuidenſe *mihi quidem ſuſpecta eſt, atq. eò magis, quòd à nullo, præterquàm ab Iſidoro, veterum Grammaticorũ citatur: à quibus nullo pacto fuiſſet prætерita, ſi ea vel ſemel Ciceronẽ vſum animaduertiſſent. Ego autem puto ita primum à Cicerone ſcriptum fuiſſe*, & amico munuſculum mittere volui leue craſſo filo, *deinde inductam ab aliquo gloſſam* denſo *ſuper verbum* craſſo, *& ab indocto librario in ſeriem receptam, ex duabus vocibus* Leue denſo *vnã factam eſſe* Leuidenſe. *Octauius Pãtagathus ſine verbo* volui, *quod abeſt à quibuſdã libris, ita legebat:* Sed ego hoſpiti veteri & amico munuſculum mittere leui dente craſſo filo, cuiuſmodi ipſius ſolent eſſe munera.

EP. XV.

30. Pergratam tibi eſſe curam meam valetudinis

tuæ:

tuæ: quam tibi perſpectam eſſe gaudeo] *Pantagathus totum hunc locum ita legebat*, Pergratā tibi meā de perturbatione valetudinis tuæ examinationem fuiſſe: amorem erga te meum tibi perſpectum eſſe gaudeo.

EP. XVI.

31. Atellanum] *Ant. Auguſtinus legit* Atellanam. *& paulo poſt*, Miniati Iouis, *pro* Miniani.

32. Quem tu mihi Popilium] *Lambinus* Pompilium: *ſed in manuſcripto eſt* Polypum, *multo, vt videtur, melius.*

EP. XXI.

33. C. Duilio] *Scribendum* K. Duilio.

EP. XXII.

34. Vſurpata duplex cubile] *Videtur ſcribendum* vſurpat duplex cubile. *& ita eſt in vetere libro manuſcripto.*

IN LIB. X. AD PLANCVM.

EP. VIII.

35. Magna in ſpe ad proficiendum impedimēta proponerem] *Faërnus legebat* magna mihi ipſe ad proficiendum.

EP. X.

36. Non inuitamentum ad tempus ſed perpetuæ virtutis eſt præmium] *Videtur reſpexiſſe ad illud Thucydidis in procœmio hiſtoriæ*, κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον, ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται.

EP. XII.

37. Vt ſtatim ad Cornutū Pr. Vrb.] CÆCILII *Cornuti Prætoris Vrbani mentio eſt in vetere apud me inſcriptione, cuius alibi meminimus.*

EP. XXX.

38. Quod nos quattuor legiones tironum habere ſolum arbitrabatur] *Pro* quattuor *Ant. Auguſtinus putat legendum*, duas. *legionum autem Antonij, quæ in hac & ſequentibus epiſtolis nominantur, mentio eſt in antiquis eius denariis à prima vſq.* XXXIV. Chortium *item* Prætoriarum, & Speculatorum.

EP. XXXII.

39. Etiam in his circulatorem quendam auctionum] Auentronũ *eſt in manuſcripto, pro* auctionum; *vt ſit proprium nomen, quo appellaretur circulator, de quo ſcribit.*

EP. XXXIII.

40. L. Fabatum] Fabatus *Roſciæ gentis cognomen Lanuuio municipio oriundæ.* L. *autem hic* FABATVS *deſcriptus eſt in argenteo quodam denario.*

41. Et omnes perequites Antonij cæſas] præter equites *alij, ſiue* peræquè.

42. Sed habere equitatum ac legiones] *Rectè legitur in manuſcripto*, ſed habere equitum CCIↃↃ. CCIↃↃ. CCIↃↃ. ac legiones.

EP. XXXIIII.

43. M. Lepidus Imp. iterum] *Inſcriptio huius epiſtolæ & ſequentis, in manuſcripto aliter legitur*: M. Lepidus Imperator Pont. Max. *In denariis certè quos ipſi vidimus*, M. Lepidus Imp. iterum *nunquam appellatur.*

EP. XXXV.

44. Vt ſint amplius equitum $\overline{XXX}$] *Manuſcriptus habet* CCIↃↃ. CCIↃↃ. CCIↃↃ.

45. Silanus & Culeo ab eo diſceſſerunt] M. *hic* Silanus *in argenteis M. Antonij denariis frequens eſt.*

IN

IN LIB. XI. AD BRVTVM.

EP. I.

46. Ac ſi dederint quod petimus] *Scribēdum* aut ſi dederint.

47. Satis in tempore ad eos accedemus] *Liber manuſcriptus* ſatis tempori ad eos accedemus: *& ita videtur legendum.*

EP. III.

48. Per edictum de ſuo iure decedere] decernere *vetus liber.*

EP. IX.

49. Si ſe Alpes Antonius traiecerit] *Videtur ſcribendum*, ſi non Alpes Antonius traiecerit.

EP. X.

50. Si tamen hæc temporis videantur dici cauſſa malle me tuum iudicium] *Ant. Auguſtinus ita legit hunc locum*, ſi tamen hoc tempore videatur dicis cauſſa mallem tuum iudicium. *& paulo pòſt*, vacuitas, *pro* vacuitas.

EP. XXI.

51. Sed hanc ipſam recētem nouam deuotauit] *Videtur abundare vox* nouā, *quæ abeſt à vetere etiam libro, tanquam gloſſema verbi* recentem.

EP. XXVIII.

52. Ac digniſſimo Cęſari petenti] *Videtur legendum* Cæſare, *pro* Cæſari, *& ita eſt in manuſcripto.*

IN LIB. XII. AD CASSIVM.

EP. XIII.

53. Vt hæc nouiſſima noſtra facta nō ſubita, obuenientia] *Ita quidem legunt pro* nec inconuenientia: *quod non ſatis placet.*

EP. XXII.

54. Collega noſtro Antonio bellum gerimus] *In argenteis denariis* Antonius Augur *deſcriptus eſt, & Cornuficius item,* Cornuficius Augur Imp.

EP. XXV.

55. Omnemq. ſuum vinolentum furorem] *Locus hic confirmat Ant. Auguſtini emendationem, qui Philip. lib.* VI. noui vinolentiam *legendum putat, pro* violentiam: *quamuis videatur violentia in caſtris poſſe magis obiici M. Antonio, quàm domi.*

56. Hirtium quidem & Panſam collegas noſtros] *Hirtij auguratus in aureo eius nummo expreſſus eſt.*

57. Q. Turius] *In libris veteribus eſt* Q. Curius, *& ita opinor legẽdum cùm hìc, tum infrà* Erotem Curium, *&* hereditatem Curianam.

58. C. Rubellinum] *Non dubito quin* C. Rubellium *legendum ſit: eſt enim* Rubellius *familiæ nomen in veteribus monumentis frequens.*

IN LIB. XIII. AD MEMMIVM.

EP. II.

59. C. Auiano Euandro] C. Auieno, *hìc, & infrà legendum arbitror auctoribus veteribus monumentis.*

EP. VI.

60. P. Cuſpio] *legendum* Ciſpio: *ita enim habent veteres libri. & opinor* Ciſpiam *familiam eã eſſe, quæ in argẽteis denariis* CIPIA *nominatur, vetere quadam ſcribendi ratione* s, *littera exploſa.*

EP. XIV.

61. L. Titione] L. Titio *eſt in libris manuſcriptis, & ita omnino legendum.*

EP. XXV.

62. Ageſaretus Lariſſæus] Hegeſaretus Lariſæus *ſcri-*

ſcribendum, ἡγησάρατος *enim Græcè* : *&* λάρισα *vnico* σ. *ex veteribus numiſmatibus ſcribi debere alibi admonuimus.* EP. XXIX.

63. Etiam res familiaris C. Capitonis præſto fuit & paruit & temporibus & fortunæ meæ] patuit *pro* paruit *ſcriptum eſt in veteribus libris, meliore, vt mihi videtur, ſententia.*

64. A. Plancium] *Non dubito quin* A. Plautium *legendum ſit: opinórq; A. Plautium deſcribi, qui Ædilis Curulis fuit, cuiuſq; mẽtio eſt in antiquis denariis.*

EP. XXXIII.

65. Cn. Otacilio] *Antiqua ſcribendi cõſuetudo poſcit vt* Othacilio *ſcribatur: & infrà* Hilarus *pro* Hilarius, *quod eſt liberti cognomẽ in veteribus monumentis frequens.*

EP. LXIII.

66. Niſæos] *Scribendũ* Nyſæos *ex veteribus Græcis numiſmatibus, in quibus eſt* NYCAIΩN.

EP. LXV.

67. In hominem tantum & talem calamitoſum] *Opinor vocem* calamitoſum *gloſſam alicuius eſſe, qui locum explicatione illuſtrare voluerit: nec enim in omnibus libris reperitur.*

EP. LXVI.

68. Androne Arthemonis filio] *Delenda aſpirationis nota ex nomine* Artemonis, *quod Græci* Ἀρτέμων *ſcribunt.* EP. LXVII.

69. Cæſari collegæ noſtro] *Erant enim augures Cicero, Seruilius, & Cæſar. Seruilij autem auguratus indicatur litui ſigno in veteribus Seruiliæ gẽtis denariis.*

EP. LXXVII.

70. Allieno Procos.] *In vetuſtis* ALLIENI *denariis, quos cùm Siciliam obtineret, ſignauit* A. ALLIE-

NVS PROCOS.*inſcriptum eſt.*

IN LIB. XIV. AD TERENTIAM.

EP. VI.

71. Quòd noſtra gratias agit] *In vetere libro eſt*, quòd Tullia noſtra tibi gratias agit.

EP. XIII.

72. Quies tamẽ ab illo fortaſſe naſcetur] *In manuſcripto eſt*, quæq. tamen ab illo fortuna naſcetur.

EP. XIV.

73. Quomodocunq. nunc ſe res habet] quomodoq. *eſt in vetere libro manuſcripto, & ita opinor legendum.*

IN LIB. XV. AD SENATVM.

EP. I.

74. Quiq. noſtram conſuetudinem] manſuetudinem *habet vetus liber manuſcriptus, aliquanto (vt videtur) meliore ſententia.*

EP. II.

75. Vt ego regem Ariobarzanem Euſeben & Philorhomæum] *Extãt apud me duo antiqua numiſmata ex argenteo, quorum alterum habet imaginem Ariobarzanis circumſcripto titulo* ΒΑΣΙΛΕ´ΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑ´ΝΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙ´ΟΥ. *alterũ Ariarathis cum litteris*, ΒΑΣΙΛΕ´ΩΣ ΑΡΙΑΡΑ´ΘΟΥ ᾽ΕΥΣΕΒΟΥ͂Σ. *Ex quibus inſcriptionibus intelligimus Ariobarzanem quidem appellatum fuiſſe Philorhomæum, Ariarathem verò Euſeben. Cicero tamen vtrunq. titulum ſoli tribuit Ariobarzani: niſi fortè aliquod mendum ſit in his verbis, & nomen Ariara-*

thes deſit, cùm ſcriptum antea fuiſſet, Vt ego reges Ariarathem & Ariobarzanem Euſeben & Philorhomæum &c. *Incidi poſtea in argenteum nummum Ariobarzanis huius, quem hîc deſcribit Cicero, in cuius vna parte Ariobarzanis ipſius imago, in altera inſcriptio inciſa eſt*, ΑΡΙΟΒΑΡΖΑ΄ΝΟΥΣ Ε'ΥΣΕΒΟΥ͂Σ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙ΄ΟΥ.

EP. IV.

76. Et falſo ære alieno liberaui] & magno ære alieno liberaui, *videtur ſcribendum.*

77. Metram] Mithram *opinor ſcribendum ex antiquis lapidum monumentis.*

78. Importunitate Athenaidis] iniquitate, *pro* importunitate *habent aliquot veteres libri.*

79. Tibarani] *Scribendum opinor* Tibareni: *Græcè enim* τιϐαρηνοὶ.

EP. XVI.

80. Quæ ille Gargettius] Gargetthius *poſcit Græca ſcribendi conſuetudo, & in veteribus etiã numiſmatibus* ΓΑΡΓΗΤΘΟΣ΄. *ſcriptum reperitur.*

IN LIB. XVI. AD TIRONEM.

EP. II.

81. xv. Cal. Nou. Corcyræ] *Videtur ſcribendum* XVI *ſcribit enim in* VIII. *huius libri epiſtola*, Corcyrę fuimus vſq. ad XVI. Cal. Decembris.

EP. IX.

82. Ad Caſſiopen] ad Caſſopen *legendũ ex Plinio lib.* IV. *extant etiã numiſmata vetera* ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ.

EP. X.

83. Qui pro conſulibus ſumus] *Vetus liber habet*, qui pro conſulibus ad vrbem ſumus.

EP. XI.

84. Cõſidio Noniano] *Opinor deſignari* C. Conſidium Nonianũ, *qui in argẽteo denario deſcriptus eſt.*

EP. XVIII.

85. Tullius Tironi] *Videtur ſcribendum* M. Tironi, *quia manumiſſus Tiro à Cicerone, Marci patroni prænomen libertus aſſumpſit.*

EP. XXI.

86. Antherum tibi commendo] *Delenda aſpirationis nota ex nomine* Antherum.

EP. XXII.

87. Vna omnino interpoſitio difficilior eſt quam ne ipſe quidem facilè legere ſoleo de quadrimo Catone] *Faërnus nullum his verbis ineſſe mendum exiſtimabat, ſed ex Plutarchi auctoritate ita locum explicabat, vt ad Catonis factũ referret, cùm in domo M. Druſi auunculi Trib. pl. Latinis petentibus ciuitatem, & ſe præcipitem illum daturos ioco minantibus, quadrimus conſtantiſſimè negauit. quod Ciceronem in laudibus Catonis non prætermiſiſſe veriſimile eſt in eo libro, qui Cato minor inſcriptus fuit. ſed quia aut totã rem, aut aliquam partẽ interpoſuiſſet litteris minutulis, id eſſe, quod ſcriberet, ne à ſe quidem facilè legi poſſe. Quadrimum verò fuiſſe tunc Catonem, cùm egit ea quæ Plutarchus ſcribit, colligere poſſumus ex ea ætate, qua mortuum Catonem Hiſtorici tradunt, & ex Druſi Tribunatus anno: Plutarchus quidem anno ætatis duodequinquageſimo obiiſſe Catonem ſcribit, Appianus penè quinquageſimo, & Florus* XLIX. *Dion annum nõ refert ætatis, ſed mortis tempus reiicit in conſulatum C. Cæſaris tertium, & M. Lepidi, hoc eſt, ſi Faſtos Capitolinos ſequimur, annum Vrbis* DCCVII. *Druſi Tribunatus fuit anno proximo ante bellum Marſicum L. Marcio Philippo,*

lippo, Sex. Iulio Cæſare Cos. an. DCLX. *vt in eiſdē Faſtis eſt; quibus accedit Ciceronis auctoritas in lib.* II. *De legibus, Aſcon. in Corneliana, & Val. Max. lib.* IX. *Itaq. ſi fingamus natum* Catonem *an. Vrbis* DCCVII. *quinquennium explebit die natali an.* DCLXII. *& quinquageſimū annū die natali* DCCVII. *ſi mors fuit ante diem natalem eius anni, erat annorum* XLIX. *ſi ante diem natalem ea geſſit quæ Plutarchus refert in Druſi Tri. pl. domo, quadrimus Cato ea geſſit. Quòd ſi fingamus natū an. Vrb.* DLIIX. *facilius dicemus in Tribunatu auunculi quadrimum fuiſſe, ſiue ageret quartum annum, ſiue excederet aliquot mēſibus. mors verò incidet in* XLIIX. *exactum, & penè quinquageſimum inchoatum. qua ratione Florus & Appianus cum Plutarcho conſentient. ſed & initium Tribunatus fuit ante Idus Decembris an.* DCLXI. *in quo veriſimile eſt hæc tum Catonem egiſſe, licet id Plutarchus non ſcribat.*

EP. XXIV.

89. Sed S litteras tuas expecto] *Vetus liber* ſed St litteras tuas expecto.

IN LIB. I. AD ATTICVM.

EP. I.

1. In campo comitiis Tribunitiis] *Vide num rectius ſit*, tributis, *pro*, tribunitiis: *cuius ſcripturæ apparet aliquod veſtigium in vno apud me manuſcripto.*

2. De Aufidio & Palicano] Palikanus *inciſum eſt in antiquis denariis, quos conſtat à Palikano ſignatos eſſe, cuius hic meminit Cicero, quiq; Tribuniciam poteſtatem à Sulla populo ademptam Tribunus pl. cùm eſſet, Pompeio conſule adiuuante, reſtituit.*

3. Quæ cùm erit abſoluta, ſanè facilè eū liben-

ter nunc ceteri conſulem acciderim] *Ego ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis,& ex loco ſimili in ep.* VIII. *lib.* III. *ad Q. Fratrem ita corrigo*: Quæ cùm erit abſoluta ſanè facilè eum libenter tunc certum conſulem acceperint. *Vox* ceteri *quæ in manuſcriptis exemplaribus mendoſa inuenitur,facilè mutari in* certum *poteſt: atq. ita de eadem re locutus eſt Cicero ipſe in ea quam nominaui epiſtola.* Eum, *inquit*, quòd certum conſulem cum Domitio numerátis,nihil à noſtra opinione diſſentitis.

4. Mancipio accepiſſe]Mancupio *ſcriptum eſt in antiquo,& ita habet vetus fragmentum legis Thoriæ in ænea tabella inciſum.*

5. Ἡλίου ἀνάθημα] *Abeſt vox* ἡλίου *ab vno libro,qui eſt apud me manuſcriptus.*

EP. III.

6. Et in montem Albanum hoſtias non adducerent] *Ferias Latinas in Albano monte celebrari ſolitas fuiſſe Conſulum interuentu, ſatis ex ſcriptoribus conſtat. Libet autem hoc loco fragmentum antiquæ inſcriptionis ſubiicere,quæ in marmore inciſa, in eius montis vertice inuenta ſuperioribus annis & Romam tranſlata apud me ſeruatur,in qua notatum eſt quibus Feriis Auguſtus cùm eſſet conſul interfuit,vel quibus valetudine impeditus,aut bello abfuit.*

. . . IPPA. III. COS.
. . . . NON. MAI.
. . TVDINE INPEDITVS. FVIT
. . TILIO. TAVRO. II. COS.
. . K. MAI.
. . HISPANI A FVIT
. . NIO. SILAN. COS.
. . NON. IVN.

, . AR. IN. HISPANIA. FVIT.
. , BANO. FLAC. COS.
EID. IVN.
. . CÆSAR, VALETVD.
, . N. PISONE. COS.
. . IVL.
, . AR. IN MONTE FVIT
, . AR. COS. ABDICAVIT
, . K. NOV.
. . CN. PISONE. COLLEGA.
, , , . COS.

7. Accuſare de te ſolebat] *Videtur legendũ* apud te, *quamuis* de te *etiam ferri poſſit.*

EP. IIII.

8. Quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum. eſt ornamentũ Academiæ propriũ meæ] *Ita hunc locum interpungit Faërnus, deleta cõiunctionis nota; quæ in vulgatis reperitur poſt verbum* eſt.

9. Et noli deſperare eos me meos facere poſſe] *Ita legit Faërnus, cùm in aliis deſit* me.

10. Atq. omnium vicos & prata] *Pro* vicos *legit Ant. Auguſtinus* lucos: *quæ mihi lectio adeò placet, vt pudeat me non vidiſſe antea.*

EP. V.

11. De litterarum miſſione ſine cauſa abs te accuſor] intermiſſione *legebat Petrus Bembus Cardinalis, pro* miſſione.

EP. VI.

12. M. Fonteius] M'. Fonteius *legendum ſuſpicor, ea adductus ratione, quòd in veteribus huius familiæ denariis, Manij prænomen ſæpiſſimè, Marci nunquam inuenitur: facileq; librarius in eo labi potuerit, vt vir-*

gulam

gulam quæ M. *litteræ obducebatur, vt Manium ſignificaret, omiſerit. quod autem in manuſcriptis codicibus* Fontius *eſt pro* Fonteius, *mirum videri nõ debet, quando Pompius & alia huiuſmodi nomina, quæ cum,* E I, *à Græcis ſcribi ſolent, in veteribus libris cum,* i, *ſcripta reperiantur.*

EP. VIII.

13. Lentulus naues ſuas pollicetur] *Manuſcriptus habet*, naui ſua pollicetur.

EP. IX.

14. Signa noſtra & Hermeraclas] *In antiquis editionibus* ἑρμέρωτας *eſt pro* Hermeraclas *ſiue* Ερμεραклας, *quod erat Herculis caput Mercurij ſtatuæ quadratæ impoſitum, cuius exẽplum è marmore extat adhuc Romæ. quia verò Hercules quòd Muſarum Comes diceretur,* οἰκεῖον *magis eſt eius loci, de quo ſcribit Cicero, quàm Cupido, placet vt* Hermeraclas *potius, quàm* ἑρμέρωτας *retineamus.*

15. Quamuis acrem amatorem inueneris] *Faërnus legebat* emptorem, *pro* amatorem.

EP. X.

16. Nunc idem videar diffidere] *Magis placet vt legatur* eidem.

EP. XII.

17. Poſteaquam non auderet nos reprehẽdere] *Ita legit Faërnus, cùm in aliis deſit* nos.

EP. XIII.

18. Quo conſilio idem Prętor vteretur] quorum conſilio *habet liber manuſcriptus, qui fuit Longolij.*

19. Fuſius tertium conceſſit] *Pantagathus legebat* Fuſius Trib. pl. interceſſit: *& hoc modo emendauit Ant. etiam Auguſtinus.*

EP. XV.

20. Noſti enim marinas] Marianas *legit Ant. Auguſtinus, & ita eſt in manuſcripto codice, qui fuit Nicolai Leoniceni.*

21. Nec ſatis ſciebam quid darem] quo darem *habet liber manuſcriptus.*

EP. XVI.

22. Te ſi expectari velis] te quoad expectari velis *eſt in manuſcripto.*

EP. XVII.

23. Abeſt enim frater ἀφελέςατος & amantiſſimus Metellus] meus, *pro* Metellus *legit Ant. Auguſtinus: quam lectionem video aliis quoq. in mentem veniſſe, licet pro* meus *emendarint* mei.

24. Neq. ego huic epiſtolæ] *Videtur legendum* Neq. eos huic &c.

25. Quem nemo præter nos philoſophos aſpicere ſine ſuſpirio poſſet] poſſit *Faërnus multo, vt videtur, melius, quàm* poſſet.

26. Vt anniuerſaria ſacra Iuuentutis] Iuuentatis *edidit Lambinus, & ita eſt in argenteo numiſmate.*

EP. XVIII.

27. Liberabam agrum eum qui P. Mucio, L. Calpurnio Cos. publicus fuiſſet] *In fragmēto legis Thoriæ, quod ex muſeo Cardinalis Bembi tranſlatū apud me ſeruatur, agri huius qui L. Mucio, L. Calpurnio cos. publicus fuit, mētio extat his verbis in tabella ænea inciſis,* Quei.ager.poplicus.populei.Romanei. in. terram. Italiam. P. Mucio. L. Calpurnio. Cos. &c.

28. Volaterranos & Artemitanos] *Ant. Auguſtinus primus* Arretinos *emendauit pro* Artemitanos, *ex oratione pro A. Cæcina, in qua ita ſcriptum eſt:* Cottam decem viris *(quos, vt opinor, veteres ſlitibus*

iudicandis

iudicandis appellabant, & centumviralibus iudiciis præerant) Religionem inieciſſe, non poſſe ſacramẽtum iuſtum iudicari quòd Arretinis adempta ciuitas eſſet. *Cõfirmat hanc emẽdationem antiquus etiam liber, qui* Arteminos *habet propiore ad emendatam lectionem ſcripturæ.*

29. Vt planè quid emerit neſciat] erit *eſt in antiquo pro* emerit, *vt fortaſſe velit legendum ſit.*

30. Quòd me eſſe ad ſcribendum vides] *Placet,* Quod me adeſſe ſcribẽdo vides: *eſt enim vſitata formula, qua vtebantur in Senatuſconſultis. lib.* VII. *ep.* I. Cato autem & ſcribendo affuit. *& in antiquo apud me Senatus conſulto, quod Græcè ſcriptum eſt,* γραφομένῳ παρῆσαν *inciſum reperitur.*

31. Lucullus de ſuis hiſtoriis dixerat] *Vide num melius ſit* de collegæ ſui hiſtoriis, *vt intelligat A. Albinum, de quo ſcribit Agellius lib.* XI. *cap.* VIII.

32. Barbara quædam & obſoleta] *Faërnus legebat* σόλοικα *pro* obſoleta.

EP. XIX.

33. Sed tamen ita à me acta ſunt omnia] *Faërnus delebat verbum* tamen: *& paullo pòſt* ſcida *legebat, pro* ſcheda.

34. Eos bonos viros] *Manuſcriptus habet* in bonos viros, *vt videatur legendum* dein eos &c.

IN LIBRVM II.

EP. I.

35. Poſt autem vt arbitror à Coſſinio accepiſti] Poſtquam vt arbitror, *eſt in manuſcripto.*

36. Verumtamen videbare mihi tempora peregrinationis commodius poſſe diſtribuere] deſcribere *legebat Faërnus ex antiquo codice, pro* diſtribuere;

&

& paullo ſuprà Poſidonius *vnico* s. Ποσιδώνιος *enim Græci ſcribunt.*

EP. II.

37. Mihi heredes lege hoc doceo] *Pantagathus legebat,* mihi Herodes: lege hos duos. *paullo poſt, pro* lollio *&* vinio, *in manuſcriptis libris eſt,* oleo *&* vino.

EP. III.

38. Primum, vt opinor, Εὐαγγέλια] *Iſocrates in Areopagitico,* ἐπὶ ποσαύταις πράξεσιν εὐαγγέλια μὲν δὶς ἤδη τεθύκαμεν.

EP. IV.

39. Velim Syrpiæ condicione facilè patior] *In vno manuſcripto eſt,* Velim Suriam facilè patior. *in altero,* Velim ſcire condiciones. facilè patior.

EP. VI.

40. Quin etiam dubitem] *Liber Longolij,* Qui etiam dubitem.

EP. VII.

41. Quarum alteram non libebat mihi ſcribere, quia abſcideram: alteram, ne laudarem &c.] *Totum hunc locum ita legendum puto,* Quarum alteram non licebat mihi ſcribere, quia abſcideram: alteram non libebat ne laudarem &c.

42. Piſaurenſis] Iſaurienſis *legebat Faërnus, & ita interpungebat:* Illa opima ad exigendas pecunias Druſo, vt opinor: Iſaurienſis nebuloni Vatinio reſeruatur.

43. Non ad ſororem tuam] *Alij legunt* nunc *pro* non, *cuius lectionis dicunt ſe habere auctores veteres libros.*

EP. IX.

44. Citius omnino quàm potuit] oportuit *placeret, pro* potuit, *& ita poſtea vidi ſcriptum in libro Longolij.*

Longolij. In fine epiſtolæ legendum puto, Sed cùm è Tuſculano in Formianum rediero (vbi eſſe volo vſq. ad Prid. Caléd. Iun.) faciam &c. *atq. ita in fine etiam ſequentis epiſtolæ, pro* Maias *erit corrigendum* Iun.

EP. XIII.

45. Si verò in hãc Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην Formias dico] *Hæc duo poſtrema verba abſunt ab vno manuſcripto, & fortaſſe addita ſunt* σχολιαστικῶς, *ad declarãda Græca verba, quæ præcedunt.*

EP. XIV.

46. Et tamen illud probem] properè *emẽdatum eſt in libro viri doctiſſimi, pro* probem.

47. Magnum quid aggrediamur] *Faërnus* àggredimur: *&* properè *etiam ipſe, pro eo quod in vulgatis eſt*, probem.

EP. XV.

48. Tamẽ ſeruet Remp.] *Faernus legebat*, ſeruiet Reſpublica *ex antiquo libro.*

49. Ego verò in montes patrios & ad incunabula noſtra pergam] *Ant. Auguſtinus putat eſſe verſum ex aliquo poëta ſumptum.*

EP. XVIII.

50. Attamen in oppreſſione] *Videtur legendum* hac tamen in oppreſſione: *& ita eſt in manuſcripto.*

EP. XIX.

51. Sed ego hoc non repudio] *Abeſt* non *à libro manuſcripto: & certè ſententia non poſtulat.*

EP. XXI.

52. Vt iret ad Bibulum] *Placeret magis*, vt iret in Bibulum: *ſed libri veteres repugnant.*

EP. XXII.

53. Et hominem grauem & prudentem] pudentem *legebat Faërnus, & rectè, vt mihi videtur.*

EP.

EP. XXIV.

54. Vettius ille, ille noſter index] Iudex *ſine dubio ſcribendum eſt pro* index, *auctoribus antiquis denariis, in quibus* T. *hic* Vettius Iudex *deſcriptus eſt*.

55. Nunc reus erat apud Craſſum diuitem Vettius de vi] *Ita legit Faërnus ex antiquo libro, cùm in aliis deſit nomen* Vettius, *quod quaſi neceſſariò requiritur*.

EP. XXV.

56. Τὰς τῶν κρατούντων] *Integer verſus eſt*, τὰς τῶν κρατούντων ἁμαρτίας φέρειν χρεών.

IN LIBRVM III.

EP. VII.

57. Quod ſi auderem Athenas peterem] *Suſpicor* Athenas *nomen eſſe opidi alicuius ignobilis: in manuſcripto eſt*, quod ſi auderem Athenas petere.

EP. IX.

58. A Pompeio nunc Hortenſium allice & eiuſmodi viros] *In libro viri doctiſſimi emendatum eſt, ſiue ex ingenio, ſiue ex antiquo codice*, Ad Pompeium mitte, Hortenſium allice.

EP. XI.

59. Ad te me conferam] *Hoc eſt in prædia tua in Epiro. paulo pòſt, interrogationis nota videtur adſcribenda verbo* deſidero?

60. Vt te ipſum conſolari nemo poſſit] *Videtur melius, vt eſt notatum ad oram libri à viro doctiſſimo*, vt præter te, ipſum conſolari nemo poſſit.

EP. XV.

61. Sed Axius eiuſdem diei ſcribẽs ad me acta] *Hunc opinor eſſe Axium, vel huius certè filium, qui in argẽteo denario* L. Axſius. L. F. Naſo *deſcriptus eſt, cu-*

H iusq;

iusq; mentio extat in antiqua inſcriptionis fragmento, quod nuper Romæ effoſſum prope ductus aquæ Claudiæ *apud me ſeruatur è lapide Tiburtino; cuius exemplum ſubieci.*

. . . . . . SPRENAS
. . . XSIVS. NASO. TR. PL.
. . . CILIVS. CORNVTVS.
. . . TIVS. CATVLVS.
. . . NIVS. STOLO.
. . . ATORES LOCORVM PVBLICORVM.
. . . DICANDORVM. EX. S. C. EX PRIVATO
IN PVBLICVM RESTITVERVNT.

EP. XVI.

62. Non aliud aliquid] *Totum hoc abeſt à libro manuſcripto, & rectè, vt opinor.*

63. Si ſpes erit primum ſin minus] *Vetus liber habet*, nam ſi ſpes erit &c.

64. Quòd cùm lętę ſunt, tum id, quod &c.] *Vetus liber habet*, quàm cùm lectę ſunt: *vnde videtur legendum*, nam cùm lectæ &c. *paulo pòſt, pro* itaque, *&* ſcis, *in vetere libro eſt*, id quod, *&*, ſcias.

EP. XVII.

65. Caue ne aut diligentia tua mihi moleſta] *In vetere libro eſt*, caue, caue ne aut, *vt videatur legendũ*, caue caueas ne aut. *Amicus autem meus legebat*, caue ne ſuſpiceris aut diligentia tua mihi moleſta, *addito verbo*, ſuſpiceris.

EP. XIX.

66. Non quo mea intereſſet loci natura] *Faërnus delebat vocem* natura.

EP. XXII.

67. Profectum eſſe per te] perfectum *eſt in antiquo, pro* profectum.

68. Tum

68. Tum deſiderio omnium rerum, quæ mihi me cariores ſemper fuerant] *Faërnus legebat* Tum deſiderio omnium eorum, qui mihi.

EP. XXIII.

69. Illud ipſum abrogatur] rogatur *legebat Faërnus auctoribus veteribus libris. paulo pòſt*, quod ve ei quei promulgauit &c. E. H. L. N. R. *ita primus emendauit Ant. Auguſtinus, quem ſecuti poſtea ſunt Faërnus, & Manutius. hac autem formula in fragmento legis Thoria, quod eſt apud me, multis locis reperitur.*

EP. XXIV.

70. Vt cùm in hoc illa conſtantia, quæ erat mea cauſa ſuſcepta, imminuta ſit] immutata ſit, *habēt veteres libri, & ita legebat Faërnus.*

IN LIBRVM IV.

EP. I.

71. Et falſi rumoris ſocius fuiſſes] falſi timoris *videtur legendum ex antiquo libro, & ex hiſtoria.*

72. Inde à Brundiſinis honeſtiſſimis ornatus] honeſtiſſimè *legebat Faërnus, pro* honeſtiſſimis, *auctoribus veteribus libris.*

73. Habui cōcionem quam omnes magiſtratus] *Ita eſt in manuſcripto, cùm in aliis deſit* quam.

74. Alteram Meſſinius] Meſcinius *eſt in veteribus denariis* L. Meſcinij. L. F. Rufi, *quem puto filium fuiſſe* Meſcinij *huius Trib. plebis. In aliquibus manuſcriptis eſt* Meſſalla, *pro* Meſcinius. *& paulo pòſt*, hæc nō ferenda, *ſine nomine* Meſcinij.

EP. II.

75. Videri poſſe ſine religione eam partem areæ mihi reſtitui] *In manuſcripto eſt*, mi reſtitui, *vt fortaſſe legendum ſit*, M. T. reſtitui.

76. Seranus interceſſit] Seranus *ſcribendum eſt vnico* r. *licet in veteribus denariis Atiliæ gentis inueniatur* Saranus..

77. Vix tamen ſibi de mea voluntate conceſſum eſt] *Faërnus delebat* ſibi, *auctoribus(vt credo) antiquis libris. In fine epiſtolæ deeſt verbum* ſenſere, *vt integra lectio ſit*, Præſentes ſenſere ij &c.

EP. III.

78. Sed ad ſupplicium præſens trudi videret] *Pro* trudi *eſt in antiquo libro* videri, *ex quo Pantagathus faciebat* voueri. *Eiuſdem eſt vulgata ſequētis loci correctio*, Domū vtramq. in Germalo, *pro* domum meamq. in Cerâmio. *& ſuperioris etiam loci*, immanifeſtamq. *pro eo, quod in vulgatis eſt*, manifeſtamq.

79. Q. Flaccus eduxit viros acres occidit homines] *Libri manuſcripti habent*, Q. Flaccus eduxit viros, ac tres occidit homines.

80. Sed ille ſe in interiorē ædium Sulla ſe] *Pantagathus hunc locum ita legebat*, Sed ille exiit tenente medium Sulla ſe.

81. In ſenatu poſtridie Idus domi Clodius] *Pantagathus*, in ſenatu poſtridie Iduum idem Clodius: *& paulo poſt, pro* Oppio, *legebat* Appio.

82. De cuius conſtantia virtute veriſſimæ litteræ. Sextius furere. ille poſtea] *Faërnus vocem* virtute *mutabat in* viri tuæ, *legebatq́; tranſlata interpunctione*, de cuius conſtātia viri, tuæ veriſſimę litteræ. *Pantagathus autem pro* virtute *corrigebat* nutante, *& Sextius nomen mutabat in vocem* fratris: *atq. ita totum locum legebat*· De cuius conſtantia nutante veriſſimæ litteræ fratris. furere ille poſtea.

83. Niſi Milo in campum] campo *eſt in antiquo: &* Metellus *paulo poſt, pro* Marcellus.

84. Clo-

84. Clodius cùm haberet fugitiuorum deiectas copias] *Placet vt legatur*, delectas *pro* deiectas.

85. Ne omnino exhauſtus eſſem] *Videtur legendum* ſit *pro* eſſem; *& ita animaduerti emẽdatum à doctiſſimo viro. In alio autem libro ita vidi hunc locum emendatum*: Quinti fratris tamẽ liberalitate pro facultatibus noſtris, nã omnino exhauſtus eſſem &c.

EP. V.

86. Ab vllo malle mea legi] *Deeſt* me, *vt ſit*, malle me mea legi.

87. Aſt nugigeram manum fuiſſe] *Quid ſi legatur*, aſt nunc geram morem? *ſuperiori ſententiæ certè conuenire videtur. in quodam libro vidi emendatum*, Et me Aſtyagи germanum fuiſſe.

EP. VI.

88. Lucceio quam miſi] *Pro* quam *in antiquo libro eſt* nunquam, *ex quo Faërnus correxit* nũc quam. *Quæ lectio recepta à Lambino fuit, & vulgata.* Faërni *etiam eſt ſequentis epiſtolæ principium ita emendatum*: Nihil ἐυκαιρότερον epiſtola tua; quæ me ſollicitum.

EP. IX.

89. Fortaſſe tu putabas his rebus Puteolanis] *Placet vt legatur* oſtreis, *pro* his rebus: *nam de Lucrinenſibus oſtreis facit Plinius mentionẽ. itaq. rectè ſcriptum eſt in antiquis libris paulo poſt*, Ne iſta quidem; *&* propterea, *pro* propter remp.

EP. XIII.

90. Tardius quàm dixerat] *Faërnus corrigebat*, dixeras *pro* dixerat, *& ita videtur legendum.*

EP. XIV.

91. Porcilius] *Rectè Manutius à me admonitus repoſuit* Procilius, *cuius familiæ mentio eſt in antiquis denariis.*

92. Quam Aſtyanacte nam in] *Faërnus legebat* quam Aſtyanacte in, *deleto* nam.

EP. XV.

93. Quod erat abs te] *Faërnus legebat* erant abs te, *hoc eſt, quòd erant data à domo tua.*

94. Reſcidit] *Fortaſſe legendum* res ad ſenatum.

95. Per me iſta pedibus trahuntur] *Faërnus* trahuntor.

96. Quin foris eſſet] fortis, *habet liber vetus.*

EP. XVI.

97. Cum priuatis non poterat tranſigi] *Faërnus delebat* non, *auctoritatem ſecutus veteris libri.*

98. Dicis quid mihi hoc monimentum proderit. ad quid laboramus res Romanas] *Faërnus totum hunc locum ita corrigebat*, Dicis quid mihi hoc monimentum? proderit id quidem. habes res Romanas.

99. Quæ lege Plotia fiant] Cincia, *pro* Plotia *eſt in antiquo Faërni libro.*

100. Putaui de nummis ante comitia tributim vno loco diuiſis palam: vide abſolutum Gabinium: detur eſſe taliturum] *Totum hunc locum ita corrigebat Pius*: Putaui de nummis ante comitia vno loco diuiſis palam iri abſolutum Gabinium: detur etiam valiturum.

EP. XVII.

101. Lepidum quo excidat] *Amicus meus reſtituebat*, ne verbũ quod excidat, *nimis à vulgata ſcriptura recedens.*

102. Et eo magis nunc cõcitare dictaturam] *Pro* cõcitare *primus Faërnus fecit* cogitare, *ſecutus veteris libri corruptam ſcripturam.*

103. Si me amas] *Antiquus liber habet*, vt ſi me amas: *vnde Faërnus coniiciebat legendum*, tũ ſi me

amas,

amas.*ſed vide num aptius ſit*, vtiq. ſi me amas.

IN LIBRVM V.

EP. I.

1. Vt etiam ſi qua fuerat ex ratione ſumpta offenſio] *Manuſcriptus liber habet* ex rõne,*vt fortaſſe*,ex re *legendum ſit.*

EP. II.

2. Prorogari nobis prouincias] *Rectius videtur in antiquo*,prouinciam.

3. Et tam longè Hortenſius] *Faërnus delebat nomen* Hortenſius,*quod eſt ſecundo loco poſitum.*

4. Si quid erit quod opperiare] odorere *eſt in vno manuſcripto pro* opperiare.

EP. III.

5. Præter quæ mihi binæ ſemel in Trebulano redditæ ſunt] *Verbum* ſemel *deletum eſt in libro emẽdato à doctiſſimo viro. Quid ſi pro* ſemel *legatur* ſimul? *in fine epiſtolæ in manuſcripto eſt* ex.L. Pontij, *pro* à Pontio.

EP. IV.

6. Ac ne ille illud quidem labat] Marcelli illud quidẽ labat *legebat Pantagathus*, *neſcio quid ſecutus.*

7. Et me abſente rei habebis rationem meæ] *Pro* rationem,*eſt* mirationem *in antiquo libro , cuius ſcripturam Faërnus ita corrigebat*,& me abſente mei habebis rationem.

EP. VIII.

8. Ne illum malus emptor alienis mancipiis] *Manuſcriptus liber habet* , Ne illum malus emptor & alienus,mancipiis quæ permulta ſecum habet.

EP. IX.

9. Patras accedere ſine his impedimentis] *Vox*

his *abeſt à libro manuſcripto.*

EP. X.

10. Sed quia δυσευκοίμητα] *Antiquus liber habet, δυσέκκλητα, hoc eſt de quibus non poſſumus liberè loqui aut queri.*

11. In nos quadam beneuolentia] *Melius habet Faërnus* quædam, *pro* quadam.

12. Si quidem eſt in Ariſto, apud quem] *In libro viri doctiſſimi emendatum eſt*, ſic quidem exiſtimat tuus apud quem eram: *vt de Patrone intelligatur. Sed magis placeret*, ſic quidem exiſtimat Ariſto, apud quem eram.

EP. XI.

13. Marcellus fœdè in Comenſi: & ſi ille magiſtratum non geſſerat, erat tamen Tranſpadanus. ita mihi videtur nõ minus ſtomachi noſtro, quàm Cæſari feciſſe] *Ita hunc locum iampridem reſtituit Octauius Pantagathus.*

14. Et aliquid ἐπίκωπον] *Pius* aliud ἐπίσκοπον, *ſiue* κατάσκοπον. *& paulo pòſt*, Patrones, *pro* barones.

15. Seuerius] ſerius *habent veteres omnes libri. & paulo pòſt*, Nunc ad ea quæ mihi mandas. *pro verba autem* excuſatio, *legebat Faërnus*, excuſato.

EP. XII.

16. Ad Ceo iucunde, inde Gyarũ] *Faërnus ex vetere libro legebat* Cei vicum: deinde Gyarum. *& paulo pòſt*, Delo nunc me mouere, *delebat nomen*, Delo.

17. De ſtrue Salinarum] *Vetus liber*, de ſeruis Salinarum.

18. Præterea ſi quid Philippus rogauit] rogat *Faërnus ex libro manuſcripto, in quo eſt*, ſi quid Philippus rogat quod in ſua re faceres: *in aliis eſt*, in tua re.

EP.

EP XIII.

19. Si quid poteſt] *Faërnus legebat* potes. *& pro* ſcrupulũ, *eſt* ſcrupulo *in manuſcripto. Et* quàm mea interſit, *pro*, quàm meum ſit.

EP. XIV.

20. Si me amas παράγγελμα ἐνιαύσιον commoueto tamen] *In libro viri doctiſſimi emendatum eſt ſiue ex ingenio, ſiue ex antiqua ſcriptura*, & ſi me ἐπάγγελμα ἐνιαύσιον commouebat tamen.

EP. XVI.

21. Moratus triduum Laodiceæ] *Videtur legendum* moratos, *quomodo Faërnum olim emendaſſe ex eius annotatione quadam cognoui.*

22. Ex domibus omnibus me herculè etiam aduentu noſtro reuiuiſcunt iuſtitia] *Faërnus hũc locum ita corrigebat*, ex domibus me hercule & iam aduentu noſtro reuiuiſcunt iuſtitia.

EP. XVIII.

* Vſus eſſet] *Multo melius, vt opinor, Faërnus,* vſus eſt, *ex antiquo libro.*

EP. XIX.

23. Etiam atq. etiam vale de Patrone & tuis condiſcipulis quæ] *Amicus meus homo doctiſſimus ita hunc locum legi atq. interpũgi debere exiſtimat*: Etiam atque etiam vale dic Patroni & tuis condiſcipulis; quæ de &c.

EP. XX.

24. Quod idem Apameæ quinq. dies morati & Synnadis triduum] *Ita Faërnus hunc locum legebat, cùm in vulgatis ſit*, quod dein Apameæ.

EP. XXI.

25. Et libenter requieſcere] *Totũ hoc abeſt à vetere libro, & vt videtur, rectè.*

26. Quibus per ſe ſcribit confectum eſſe Parthicum bellum] per ſe, *non eſt in manuſcripto.*

27. Pungunt me dubitationes tuæ] *Melius, vt opinor, in antiquo*, angunt me.

28. Semel tamen in diem] tantum, *pro* tamē, *habet liber vetus.*

29. Sed mirificè abſtinentem] *In quodam manuſcripto eſt*, & mirificè abſtinentem.

30. Statuas eana τέθριππα] *Liber qui fuit Nicolai Leoniceni habet*, ſtatuas æneas τέθριππα. Τέθριππα *autem decerni ſolita fuiſſe, teſtimonio nobis ſunt vetera numiſmata, in quibus hac ipſa* τέθριππα *fornicibus impoſita videtur.*

31. Tum fit s. c. non vt alio ea ſyngrapha iure eſſet, quàm ceteræ, ſed vt eodem] *Ita legitur hic locus in manuſcripto, & fortaſſe melius quàm in vulgatis.*

32. Velim ad me ſcribas certum quo die myſteria futura ſint] ceterum *pro* certum *eſt in antiquo libro, & ita videtur legendum, interpunctionis nota ad verbum* ſcribas *poſita.*

IN LIBRVM VI.

EP. I.

33. Hanc non nulli amici Appij ridiculè interpretantur] hæc *pro* hanc *habet antiquus liber, & ita videtur legendum.*

34. Sed dico? reuocaui me ne te offenderē] *Faërnus*, ſed illico reuocaui me ne te offenderem. *Ant. Auguſtinus*, ſedulo *legit pro* illico.

35. Igitur meo decreto ſoluta res Scaptio, ſtatim quàm decretum ſit tu iudicabis] *Locus fœdè corruptus ita reſtitui commodè poteſt.* I. m. d. ſoluitur æs Scaptio ſtatim: quàm id rectum ſit tu iudicabis.

36. Eum furenter iraſci] ſe furenter iraſci, *habet vetus liber. ſe pro* eum *in epiſt.* XVII. *lib.* I. *poſitum eſt, & alibi.*

37. Vt Græci inter ſe diſceptent ſuis legibus] *In vetere ſenatuſconſulto, quod apud me ſeruatur inciſum in ænea tabella, ſcriptum eſt:* ἑάυτȣ ἐν ταῖς ἑαυτῶν πατρίσι κατὰ τοὺς ἰδίȣς νόμȣς βούλωνται κρίνεσθαι.

38. Si id à Timęo tuo familiari] ſuo *pro* tuo *ſcriptum eſt in antiquo: ſed ſcripturæ veritas ex hiſtoria petenda eſt.*

39. Nam Cœlius libertum ad me miſit, & litteras accuratè ſcriptas, & de pantheris, ſed à ciuitatibus] Cibyratibus *legebat Pius pro* ciuitatibus.

40. Quem iam pridem nũquam videt] *Quidam emendauit,* quem nunquam vidit.

41. Sed heus tu Genuarios à Cęſare per Herodẽ talẽta Attica L. extorſiſtis] *Amicus meus legebat* Sed heus tu, ita ne vos à Cæſare &c.

EP. II.

42. In Trophoniana Chęronis narratione] *Ant. Auguſtinus* Chærontis *putat legendum pro* Chæronis. *ego ſine Dicæarcho nihil ſtatuo; cuius libros* περὶ τῆς ἐις Τροφωνίȣ καταβάσεως *citat Athenæus.*

EP. III.

43. Non in Pompeium prolixior per ipſum] per ſe ipſum *habet Longolij liber.*

44. Pro ratione pecuniæ liberius eſt Brutus tractatus] liberalius *pro* liberius *olim Faërnus; à quo alij acceperunt. & paulo pòſt,* Huius nebulonis oratione, *pro* operatione: *quam lectionem Ant. quoq. Auguſtino in mentem veniſſe cognoui ex eius ſcriptis, quæ nuper ad me miſit.*

45. Et quod tibi Romæ oſtenderam me ſeruatu-

rum

rum in quo perſeueraui] *Scriptus liber habet*, Quod t. R.o. m. ſ. in eo perſeueraui. *& paulo poſt*, Scaptio dum in Cappadocia fuit, *pro* Scaptio qui &c.

46. P. Clodi canis] *Scio* canis *poſſe defendi ex hiſtoria: mihi tamen magis placeret* cauſa, *vt eſt emẽdatum in libro viri doctiſſimi.*

47. Grauius autem non contemnere ſe & reges] *In margine libri à viro doctiſſimo cum manuſcriptis collati, ita eſt emendatum*: Ennianum illud grauitatem non contemnere ſed reges odiſſe. *Faërnus olim* gnauius *pro* grauius *legebat.*

48. Si nihil fuerit] *In manuſcripto eſt*, etiam ſi nihil fuerit.

EP. IV.

49. Quæſtor Meſſinius] Meſcinius *ſcribendũ eſt: de quo extat in antiquis denariis mentio hac inſcriptione*, L. MESCINIVS. L. F. RVFVS. III. VIR.

EP. V.

50. Meq. obiurgauit vetere prouerbio, τὰ μὲν διδόμενα] *Huius prouerbij meminit Polybius in fragmento nondum impreſſo libri* XXXVII. *in quo ita ſcriptũ eſt*: τὸ δὲ ἔθνος, καθάπερ ἐν παροιμίᾳ ἔφη, οὐ μόνον τὰ διδόμενα τῇ δεξιᾷ παρὰ ῥωμαίων ἐδέχοντο, τῇ δὲ μιᾷ χειρὶ, καθόλου δὲ καὶ συλλήβδην παραπαῖον τοῖς λογισμοῖς, ὑπέλαβον γὰρ τοὺς ῥωμαίους, &c. *puto autem hæc Polybij verba non vacare mendo, ad quæ illuſtranda Ant. Auguſtinus adiungit Platonis illa ex Sophiſta*. καὶ τὸ λεγόμενον οὐ τῇ ἑτέρᾳ ληπτέον, οὐκοῦν ἀμφοῖν χρή. *& ex Gorgia*, κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον, τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ λεγόμενον.

EP. VI.

51. Quoniam Appius de Eleuſine non cogitet] nunc cogitet *habet manuſcriptus.*

52. In quibus ἐπέχειν te ſcribebas] ſcripſeras *legit*

git vir doctiſſimus amicus meus, & in epiſtola etiã IX. *huius libri.*

53. Quid eſſet mihi faciundum de relinquendo eæ me pungebant] *In antiquo ſcriptum eſt*, quid eſſet mihi faciundum derelinquẽdo fratre me pungebãt.

54. Quæ fortuita hominum] quæ forent dicta hominum *legit Ant. Auguſtinus. ſed in antiquo eſt*, quid quæ fortuita hominum.

55. At nunc Cœlius, non dico equidem quod egerit, ſed tamen multo minus laboro] *Melius in manuſcripto hæc poſtrema*· ſed tamen quod egerit, multo minus laboro.

EP. VIII.

56. At à quibus victus] euectus *legebat Pius.*

57. Detraxit xx. ipſos dies etiã Aphractus Rhodiorum Kal. Oct. Epheſo conſcendentes] *In manuſcripto eſt*; detraxere xx. ipſos dies Aphractos Rhodiorum Kal. Oct. Epheſo conſcendentes: *vt verbum* detraxere *ad* Eteſias *referatur.*

58. L. Tarquinio] Tarquitio *legendum omnino videtur, cuius familiæ mẽtio eſt in antiquo denario in quo* C. TARQVITIVS P. F. *deſcriptus eſt.*

EP. IX.

59. Prorſus illam ne attingat] ille *pro* illam *eſt in antiquo*: *& infrà vir doctiſſimus legit*, Ἐπέχειν interſcripſeras, *pro* Ἐπέχειν te ſcribebas.

IN LIBRVM VII.

EP. I.

1. Me C. Cœlio Quæſtori relinquere annuum] aliquantum *legebat amicus meus, pro* annuum.

2. Scribendo affuit] γραφομένῳ παρῆσαν, *eſt in vetere ſenatuſconſulto.*

3. Hoc primum quod acceſſit cura dolori meo] quo acceſſit *Faërnus.*

EP. II.

4. Quia indicabat te non valere] quod indicabat *Faërni liber.*

5. Quomodo expectabam epiſtolam] quàm expectabam *vetus liber.*

6. At hic idem Bibulo dierum xx.] *Liber viri doctiſſimi habet*, At hic idem Bibulo decreuit.

7. Qui eadem liber non iuraret: me iſtos liberos non addixiſſe] *Pius legebat*, cui eadem non liberent: iurarem me ad iſtos libertos non addixiſſe.

EP. III.

8. Vt nunc in vno ciue Reſp. ad reſiſtēdum imbecilla ſit] *Faërni liber*, vt nūc in vno ciui res ad reſiſtēdum ſit: *ſed magis placeret*, vt nunc vni ciui Reſp. ad reſiſtendum imbecilla ſit.

9. Hic omnia facere omnis debent] *Placet* omnes debent. *paulo pòſt*, Quem tu neminem putas, *Faërnus veteris ſcripturæ ſecutus veſtigia legebat*, quē tu non putas.

EP. IV.

10. Veniſſe Hirtium à Cæſare, qui eſſet illi familiariſſimus] *Pro* illi *habet manuſcriptus liber* ibi, *vnde coniiciebat Faërnus legendum eſſe* ſibi. *paulo pòſt*, Balbus de tota re. *ſcribendum*, cùm Balbo de tota re.

EP. IX.

11. Dicens ve ſe expulſum] *Videtur legendum*, dicens vi ſe expulſum, *vt eſt in libro, qui fuit Lōgolij.*

EP. XI.

12. Atq. hæc ait omnia facere ſe dignitatis cauſa] ſuæ dignitatis *Faërnus. qui paulo pòſt pro* Lucretino, *legebat* Lucretilino, *& rectè, vt videtur.*

EP.

EP. XIII.

13. Oppios de Velia Saccones] *Libentius* Salacones *legerim ex Ariſtotelis Rhet. lib.* 11. *& ex loco ſimili in epiſtolis, quas vocant Familiares.*

EP. XIV.

14. Eruptionem facturi fuiſſe dicebantur] *Ante verbum* eruptionem *in manuſcripto eſt* bis, *pro quo, in libro Longolij ſcriptum eſt*, cum iis.

EP. XVI.

15. Nos à Cos. Capuam venire iuſſi ſumus ad Non. Feb. Capua profectus ſum Formias ad III. kal.] *Hic locus in manuſcripto aliter legitur, & vt puto melius*, Nos à Cos. Capuam. v. i. ſ. a. d. IIII Non. Febr. Capua p. ſ. Formias. a. d. III. Non.

EP. XIX.

16. Et ſi te ipſum iſtic iam calere puto] carere *pro* calere *emendatum eſt in libro doctiſſimi viri.*

IN LIBRVM VIII.

EP. II.

17. Sed etiam cum maxima laude Pōpeij] *Faërnus legebat*, ſed etiā huius maxima laude, *deleta* Pompeij *voce, & repoſita* huius, *quæ eſt in antiquo libro.*

EP. III.

18. Marcoq. Marcello Cos. finienti prouincias Gallias Kal. Mart. reſtitit] *Vetus liber*, Marcoq. Marcello finienti prouinciis Galliis Kal. Mart. diem reſtitit.

19. Age iam cum fratre, an ſine? cum filio, an quomodo?] *Liber Longolij*, aut quomodo? *quod videtur melius.*

EP. IV.

20. Planè ſine vlla exceptione præcidit] *Liber*

manu-

manuſcriptus, planè nulla exceptione pręcidit: *quam ego lectionem meliorem puto, quàm quæ vulgo habetur.*

EP. V.

21. Cùm aliquid furioſè fecit] *Pro* fecit, *eſt* fecerit *in manuſcripto libro: & paulo pòſt* fui *pro* fuit.

22. Κεράσεσιν ἐσπὲ ῥαθυμεῖν δῆτα] *Vetus liber habet*, χείρεσιν ἐς ἦέρα θύνειν δῆτα, *pro quo Lambinus fecit*, Κεράεσιν ἐς ἦέρα θυμαίνοντα.

23. Pollicem ſeruum à pedibus meum Romam miſi] *Opinor* ſeruum à pedibus, *ſcholium eſſe, poſitum à Grammatico quodam ſupra nomen* Pollicem, *deinde in contextum à librario imperito receptum.*

EP. IX.

24. Niſi erit conuẽtus] *Ant. Auguſtinus pro* conuentus *legit* coactus.

EP. XIV.

25. *In veteribus libris hæc epiſtola, & quæ ſequuntur Pompei, ita inſcriptæ ſunt* CN. MAGNVS. PRO. COS. S. D. *quæ quidem inſcriptio reperitur in aliquot etiam denariis, in quibus pro* POMPEI *nomine*, MAGNVS *cognomen inſcriptum eſt.*

EP. XV.

26. Subiicerer eiſdem prœliis] *Multo mihi videtur rectius ſcriptum eſſe in antiquo*, obiicerer eiſdem periculis & mea perſona.

EP. XVI.

27. Idem quod video te exiſtimaſſe] *Faërnus*, quod idem video.

EP. XVII.

28. M. Marcello, L. Lentulo Cos.] *Scribendum* C. Marcello. *ita etiam eſt in antiquo denario argenteo, in quo legitur inſcriptio*, C. MARC. L. LENT. COS.

EP.

EP. XVIII.

29. Quamobrem etiã te rogo] *Vetus liber*, quamobrem etiam atq. etiam rogo.

EP. XXII.

30. Modò eſſe in Tiburti aut Lepidi: quo cũ Lepido acceſſiſſet ad vrbem] *In libro Longolij, & altero manuſcripto ita legitur hic locus*: modò eſſe in Tiburtino Lepidi: quo cum Lepidum acceſſiſſe ad vrbem. *paulo pòſt, pro* itineribus, *in eodem manuſcripto eſt*, itineris.

EP. XXIII.

31. Aut ad Hæmonis fugam tendis] intendis, *vetus liber*, & Anthedonis Phycon, *Pius, pro* Hæmonis fugam. *& paulo pòſt*, Sufenas, *pro* Setenas: *nã* Sex. Nonius Sufenas *in denario argenteo deſcriptus eſt*, *infrà, pro* deſero, *Faërnus emendauit*, diſſero.

EP. XXIV.

32. Factum Cæſaris de Corfinio totum me probaturum ſcito] *Vetus liber* te probaturum ſcio.

EP. XXV.

33. Municipia verò Deum] ad eum *Liber manuſcriptus, pro* Deum.

34. Quid autem aliquid] aliud *pro* aliquid, *habet vetus liber.*

IN LIBRVM IX.

EP. I.

35. Nã Canuſio VIII. Kal. profectus erat Cneus: hæc autem ſcribebam Pridie Non. XIIII. die poſtquam ille Canuſio mouerat] *Videtur legendum* XI. kal. & XVI. die, *ex Ouid. Faſtor. lib.* II.

36. Et ſeuerè quidem in conuiuiis tempeſtiuis diſputari] *Amicus meus putat legendum*, & ſeuerè, &

in conuiuiis tempeſtiuius diſputari &c.

EP. II.

37. Nam quòd negas te dubitare quin magna in offenſa ſim apud Pompeium hoc tempore] *Faërnus delebat poſtrema duo verba*, hoc tempore.

EP. IV.

38. Cur tum in Curia potero ferre?] qui tum in curia, *commoda lectio, & quæ defendi poſſit: ſed magis placeret*, Curtium in curia, *de quo in epiſtola ſequenti*: Quò vis potius certè quàm vt Curtiũ videat, quem ego patronus aſpicere non poſſum. *Pius autem pro* Curtium *legebat* Cercum, *neſcio quid ſecutus.*

39. Qui nos hoc defendente] deſerente *Ant. Auguſtinus multo quàm alij melius, qui repugnãtibus veteribus libris* non defendente *emendarunt. paullo pòſt*, Si quis apud Homerũ, *Faërnus*, ſicut apud Homerum: *placeret autem ſi totus locus ita legeretur*, Eo igitur ſi quidem. *& infrà*, & ego, *delebat Faërnus coniunctionis notam*, &c.

40. Tranſmiſiſſe] *Faërnus ex* tramiſiſſe me, *quod eſt in manuſcriptis libris, faciebat* tramiſiſſe mare. *& paulo pòſt, pro* ad Curtium minucia, *reponebat* ad Curtium Numicia, *ex Horatij epiſtola* XIII.

41. Domitius vt audio in Coſano] *De Domitij Coſano mentio eſt apud Cæſarem in lib.* 1. *De bello ciuili, in quo cùm mendoſè huius loci nomen ſcriptum eſſet, primus Victorius, vt ſcribi debuit, emendauit, adducto veteris libri & huius epiſtolæ teſtimonio. Sed cùm præter Coſanum, alius etiam locus à Cæſare nominetur, in quo Domitius claſſem parauit, qui in vulgatis libris, malè* Sicilia, *in antiquiſſimo meo minus malè* Sigili *appelletur; operæ pretium me facturum puto, ſi Lectorem admonuero, eius nominis verã, incorruptamq́; ſcripturam,*

ram, quæq; ad manuſcriptum Cæſaris librum propius accedat, in Itinerario, quod ſub Antonini imp. titulo circumfertur, reperiri.

EP. V.

42. Neq: audire me commodè potuiſſet] meo cōmodo potuiſſem *Faërnus, à quo accepit Lābinus.*

EP. XI.

43. Et iam de ſupero mari plaboq.] *Faërnus ex libro manuſcripto corruptam vocem* plaboq. *in* prælabor, *mutabat: &* poſſim *pro* poſſem *paulo pòſt legebat. pro,* & iam, etiam *eſt in vno manuſcripto.*

44. Feſtiuo enim ſimili vrus decurro] *Pro* vrus, *Ant. Auguſtinus reponit* vultu. *paulo pòſt pro* diſceſſu, *eſt* diſperſione *in libro manuſcripto.*

EP. XII.

45. Tanquam auis illa mare proſpecto, euolare cupio] *Similitudo ſumpta ex Platonis epiſtola* VI. ἐγὼ μὲν βλέπων καθάπερ ὄρνις ποθῶν πόθεν ἀναπτᾶσθαι·

46. Nunc ſiue periculo experiundum erit] ſi vel periculo *Faërnus. paulo pòſt,* ſed medius fidius turpe nobis, *Ant. Auguſtinus,* vobis, *pro* nobis. *in fine epiſtolæ vetus editio habebat,* Poſt fugam noſtram nunquam iam noſtrum earum interuallum fuit*: vnde Ant. Auguſtinus coniiciebat legendum eſſe,* poſt fugam noſtram nunquam tam moleſtum earum interuallum fuit. *mihi autem placeret magis ſi ita legeretur,* nunquam tam vaſtum earum interuallũ fuit.

EP. XIII.

47. Non modò ipſe auctor dignitatis tuæ] *Magis placet* adiutor, *vt eſt in manuſcripto.*

48. Me & pacis & vtriusq. veſtrum] *Faërnus,* me & paci vtriuſq. veſtrum: *in manuſcripto,* me & pacis vtriusq. veſtrum auctorem & ad ciuiũ concordiam.

EP. XIIII.

49. Adfinis huius miſerrimæ vitæ] ac finis *eſt in libro manuſcripto pro* adfinis.

EP. XV.

50. Vt tu ſcribis ludum ac vellē ſcribis, quis nam hic ſignificaſſet: ſed & iſte quia plus oſtēderat, quàm fecit & vulgo illum] *Locus multis fœdatus, vt videtur, maculis reſtitui aliquo modo poterit, ſi ita emendetur:* Et vt tu ſcribis ludunt: ac bellè ſcribis. quis nam hæc ſignificaſſet? ſed & iſtum, quia plus oſtenderat quàm fecit, amant: & vulgo illum.

51. Scripſit ad me Sextus] *Ex veteris libri corrupta ſcriptura, & ex loco ſimili inferiore Faërnus, pro* Sextus, *reponebat* Cæcius.

EP. XVI.

52. De compoſitione aliquid me conficere] *Suſpicor verba,* aliquid me conficere, *gloſſema eſſe.*

EP. XVII.

53. Ab illo patriæ proditores] *Faërnus,* perditores. *paulo pòſt vetus liber habet,* Sed quid ſi ille non dicat, *pro* ſed quis vlli non dicat.

EP. XVIII.

54. Quæ deſcripta attulit] *Ita eſt in veteribus libris; vt perſpicuum ſit, deeſſe nomen eius, quem dicit mandata attuliſſe.*

EP. XX.

55. Sed quid præripi] *Faërnus ex corrupta ſcriptura* præcipit, *quæ eſt in libris manuſcriptis, primus* præcipio *legendum coniecit.* præcipiat *habet vnus manuſcriptus.*

EP. XXI.

56. Sin in his nō veniremus] *Faërnus,* ſi nos non veniremus. *infrà pro* eros celeri, *amicus meus olim*

area

area ſcelerum *legebat*.

EP. XXII.

57. In Ægyptú nos abdimus]abdemus *Faërnus.*

IN LIBRVM X.

EP. I.

58. Vt dum oratores eant & redeant]*Vetus liber* eant redeant, *ſine coniunctionis nota.*

59. Aut vel periculosè cum bonis] *Aduerbium* vel *abeſt à manuſcripto codice.*

EP. II.

60. Nec eſt quidquam,quo,& qua]quo aut qua; *Liber vetus.*

EP. IV.

61. Maximè quidem illam velim,ea,quæ ad nos delata ſint,aut falſa eſſe,aut minora] *Vide num melius ſit in libro Longolij*, Maximè quidem illa velim, quæ ad nos delata ſunt,aut falſa eſſe,aut minora.

62. Ergo hoc quidem eſt verum profecto] *Vetus liber*,ergo hoc quidem eſt profectum.*paullo pòſt,* Amiciſſimum mihi Cęſarem eſſe debere,*pro* debet, *habet liber manuſcriptus.*

63. Quid quæris? atq. iubebat:eſt enim]*Placet vt legatur*,Idq. ad te ſcribere iubebat. quid quæris? eſt enim.

64. Tu Oppios Terentiæ dabis] *Amicus meus corrigebat*, tu hoſpitium Terentiæ dabis.*ſed vulgata lectio poteſt defendi.*

65. Commodius tecum Vectenus locutus eſt] Vettienus *puto rectum eſſe: nam vt à Pupio Pupienus, Naſidio Naſidienus, Allio Allienus nomina deducta ſunt,ita à* Vettio Vettienus.

EP. V.

66. Et tamen retice] *Vetus liber*, & tandem excitet.

67. Iniecta autem mihi ſpes quædam eſt velle mecum Ser. Sulpicium: ad eum miſi Philotimum libertum cum litteris.] *Ita Faërnus legit hunc locum ex vetere libro, deleta voce* colloqui, *quæ eſt in vulgatis.*

EP. VI.

68. Annibal hic in abſentis ſolus tuli ſcelus eiuſdem] *Ingenioſè Faernus correxit hunc locum*, annis ab hinc nouem abſentis &c. *Pantagathus autem minus fęliciter*, Annibalis huius abſens ſolus tuli ſcelus: eiuſdem.

69. Quippe qui florẽs ac nouus.VI.VII. diebus] *Ita planè olim Pantagathus hunc locum correxit, niſi quòd pro* VI.VII.*legebat* viginti diebus, *vt opinor, ex hiſtoria.*

70. Στοργῆς ſit ſumma σύντηξις tamen non rectè facere] *In libro viri doctiſſimi emendatum eſt*, ϛοργῆς ſit ſummæ licet tamen nos rectè.

71. Ne meam ipſe συμπάθειαν euocem] *In eodem libro notatum eſt*, Nauitã ipſe audire videor iam euocantem: *& paullo pòſt*, Curione *pro* Curio.

EP. VIII.

72. Et tibi minus commodè conſulueris ſi non fortunæ obſecutus videbere] *Vide num ſit legendum*, & tibi minus commodi cõſciueris, nec fortunæ obſecutus videberis.

EP. IX.

73. Pompeium cum magnis copiis iter in Germaniam per Illyricum feciſſe] *Videtur ſcribendũ* per Galliam *ex loco ſimili in ep.*V. Pompeium pro certo habemus per Illyricum proficiſci in Galliam.

EP. X.

74. Me tibi prædixiſſe neq. temerè monuiſſe] *Vetus liber*, me neq. temerè prædixiſſe, neq. temerè monuiſſe.

EP. XI.

75. Et cùm ego ſæpiſſimè ſcripſiſſem] ei cùm ego, *Faërnus.*

EP. XIII.

76. Et quidem ille ipſe Curio ſuſpectus] *Verbum* ille, *rectè abeſt à libro manuſcripto.*

EP. XIV.

77. Euocauit litteris è municipiis denos & IIII. viri venerunt] *Vetus liber* & IIII. viros: venerunt; *quæ lectio placet, & ita olim ex ingenio correxiſſe Ioannē Baptiſtā Sighicellū cognoui ex annotatione ad oram libri, cuius mihi copiam fecit ornatiſſimus iuuenis Camillus Sighicellus; in quo pro* denos *vidi* decuriones *olim emēdatum ab eodem eruditiſſimo viro. in fine epiſtolæ ita in antiquioribus ſcriptum fuiſſe opinor*, vt iam celandus magis de noſtro conſilio, quàm adhiben. videretur, *pro* adhibendus. *poſtea mutatum fuiſſe, in* ad idem videretur.

EP. XVI.

78. Scito eum non mediocriter laborare de vſura] de verſura *opinor legendum, pro* de vſura.

79. Sæpè enim adſcripſit] *Vetus liber* ſæpè enim ad me ſcripſit.

EP. XVII.

80. Simul in Cumanum veni, eodem die] *Liber manuſcriptus*, ſimul vt in Cumanum veni, eodē die.

EP. XVIII.

81. Si quidem adhuc erat] *Faërnus*, ſic quidem vt adhuc erat. *Sed vide num melius ſit*, Hortenſio vt

quidem adhuc erat, nihil eſſe liberalius poteſt.

EP. XIX.

82. Quod ἠυτόχησιν gaudebã] gaudeo, *vetus liber*.

IN LIBRVM XI.

EP. II.

1. Ex multis meis & miſerrimis curis eſt vna enata] enecta *Ant. Auguſtinus legit pro* enata. *Quid ſi legas*, curis ſpes eſt vna enata? *in vno enim manuſcripto huius ſcriptura veſtigium aliquod apparet.*

EP. III.

2. De qua tibi reſcribi voluiſti quod ad Kalend, Quinctil. pertinet] *Ita hunc locum interpungebat Pantagathus.*

EP. IV.

3. Hic tua vt poſſum tueor apud hos cetera celer ipſe. fugi adhuc omne munus] *Pantagathus ita hunc locum legebat, & multò quàm alij rectius: poſſet etiam ita corrigi*, hic tua vt poſſum tueor apud hos, ceterum. ipſe fugi.

EP. VI.

4. Recipio tempore me domo, te nunc ad Oppium] *Idem Pantagathus ita corrigebat hunc locum*; Recepi (ô tempora) me de Mario nunc ad Oppium. *Liber vetus, pro* domo, *habet* domum.

EP. VII.

5. Et Lælium nominatim] *Ant. Auguſtinus* L. Ælium, *quod non ita placet: nam ſuprà dixit*, miſi L. Lamiam: *cuius nomen tam paucis verbis non variaſſet, & vel* eum, *vel* eundem, *dixiſſet: præterea vix contuliſſet ſe cum equite. item cùm Lamia eſſet cõſanguineus Mamurra, non fuiſſet hoſtis.*

EP.

EP. IX.

6. Nihil mihi mali cauſa attulit] *Faërnus ex libro Vbaldini Bandinelli legebat* caſus,*pro* cauſa.*paullo poſt*,omnia mea culpa contracta ſunt,*ex libro Longolij legendum*: *in aliis deeſt* mea.

EP. XII.

7. Quintum fratrem lituum meæ profectionis fuiſſe] *Legitur* illiciũ *in veteribus libris*, *pro* lituum.

8. Tamen L. in eo his verbis] tamen de eo his verbis: *ita primus Pantagathus correxit*,*à quo alij acceperunt*, *reiecta priore emendatione* tamen leuibus verbis. *Ant. Auguſtinus minus feliciter*, tamen litteras ego his verbis.

EP. XIII.

9. Si quid erit quod ad quos ſcribẽdum meo nomine putes] ad quenquam *vetus liber*,*pro* ad quos.

EP. XIV.

10. Item qui in Aſia] *Vetus liber*,item Aſiani.

11. Iam extremum concluditur. ibi facile eſt, quod quale ſit grauius exiſtimare] *Pantagathus locum ſine dubio corruptum ita reſtituebat*, iam extremum concluditur ibi. facile eſt quod, quare ſit grauius,exiſtimare.

EP. XV.

12. Quòd te hoc tempore videre non poſſim] *Melius in vetere libro*,cur te videre.

13. C.quidem Caſſium aut conſilium Alexandriam eundi mutauiſſe] *Faërnus ex manuſcripti libri collatione vbiq;* Alexandream *ſcribebat per* e. *cui quidem emẽdationi ſuffragatur veteris denarij auctoritas*, *qui ab Æmilia Lepidorum familia cuſus eſt cum inſcriptione* ALEXANDREA , *ſiue vt eſt in aliis*, ALEXSANDREA,

EP. XVI.

14. Et conſtitutum] *Vide num melius* inſtitutum.

15. Et maximè quid ſcribas de ea] *Faërnus pro* ſcribas, *legebat* ſcias; *Pantagathus autem* ſentiebas: *& in fine epiſtolæ*, Id enim mihi erat pro deſperato, *pro* erit.

EP. XVII.

16. Eo breuiorem] eo breuior eſt, *Faërnus ex libro Ubaldini*. Et quod tranſmiſſuri eramus, *Vetus liber*, & quòd trãſmiſſuri noſtros eramus. *unde cõiicio legendũ*, & quòd cras miſſuri noſtros eramus. *paullo pòſt*, Pro ea quemadmodum conſolãdis ſcripſiſti. *p.* tanta eo me ſcripſiſſe, *Pantagathus ita emendabat*, Pro ea quemadmodum conſolando ſcripſiſti, putato ea me ſcripſiſſe.

EP. XIX.

17. Quid erit qualecumq. erit] ſi quid erit, *vetus liber.*

EP. XX.

Notionem eius differri] cognitionem *ſcriptum eſt in antiquo codice, & rectius.*

EP. XXII.

18. Qui mihi laborem affert in dolore] *Vetus liber*, quod mihi languorem affert in dolore.

EP. XXIII.

19. Aliquid feciſſemus, vt viui] viri *Pantagathus pro* viui. *& paullo pòſt*, Vel victoriæ, vel omniũ malorum, *pro*, vel Metellæ vel omnium maiorum. *infrà pro* Conſidera igitur ne vim abuſo naſcetur, *legebat*, Conſidera igitur tum ne viri abitio naſcetur.

EP. XXIV.

20. Nõ credo, & commoti neq. eũ rogari] *Pantagathus* non credo Camillo: neq. eum rogari. *paullo pòſt vetus liber habet* hærere, *pro* quærere.

21. Et eo me magis eſſe deſpectum, aut etiam ſi quid habet] *Vetus liber*, aut eo me magis eſſe deſpectum, vt etiam ſi quid habet.

EP. XXV.

22. Scripſit apud epiſtolas] *Locum miſerè deprauatum ita commodè reſtitui poſſe exiſtimabat Pantagathus, ſi legeretur*, Scripſi, adi ad epiſtolas, velim vt poſſim, aduerſus ego huius miſeriam ea facultate confectus confliɛtari.

IN LIBRVM XII.

EP. II.

23. Hic rumor eſt T. Murcum periiſſe naufragio] *Faërnus ex antiquo libro reſtituebat*, hic rumor eſt tamen Murcum periiſſe naufragio, *rectè. Nam Statij huius Murci prænomen fuit Lucius, vt in eius denario notaui in libro De familiis Romanis.*

24. Si quæris quid putem, ego fructum puto] futurum *amicus meus legit pro* fructum.

EP. III.

25. Vt ſine te ſim totos dies] *Magis placeret* tot, *pro* totos, *ſi antiqui libri non repugnarent.*

EP. V.

26. Piſoni demonſtrarem] demonſtraret *Faërnus, & rectè.*

EP. XX.

27. Poſſum ne magis, quòd totos dies conſumo in litteris] qui totos dies, *Faërnus legebat: quam lectionem video in mentem Lambino etiam veniſſe.*

EP. XXI.

28. Proximos puto Lamiæ] *Vetus liber*, proximi: *quod magis placet.*

EP. XXXIII.

29. Ex quo intelligam] intelligo, *Faërnus*.

EP. XXXVII.

30. Quæ maximè liberaliſſima] *Placeret ſi legeretur*, quæ maximè liberalis ſit.

31. Κύριος mihi ſic placuit] Κύρος *eſt in manuſcripto, pro* *κύριος*, *& melius, vt puto.*

EP. XLIII.

32. Solet omnino eſſe Fuluiaſter] Fuluiniaſter, *Faërnus neſcio qua conie*ct*ura du*ct*us.*

IN LIBRVM XIII.

EP. II.

33. Parochis publicis] *Ita legendum pro eo, quod alij* parochiis *reſtituerunt. antiqua lectio confirmatur loco Polybij ex fragmento* CXXV. *μὴ καταλύμα δοθῆναι σφίσι, μήτε παροχὴν.*

EP. VI.

34. Columnarium vide ne nullum debeamus] Colonarium, *eſt in vno manuſcripto.*

EP. VIII.

35. Nolano venalis ſit] *In manuſcripto eſt*, Nolanoue venalis ſit.

EP. XIV.

36. Velle (ſi mihi placet) coheredes, ſe & Sabinum Albium ad me venire] *Ita eſt in manuſcripto, cùm in vulgatis deſit*, ſe.

EP. XVIII.

37. Quem ζηλοτυπεῖν] *Poſt hoc verbum deeſſe aliquid Faërnus putabat.*

EP. XXI.

38. Quam vt Lucullus] quam vt Lucilius *Faërnus*,

nus, *& ita videtur ſine aliqua controuerſia legendum. infrà* valde probo hominem, *delebat Faërnus verbum* probo.

EP. XXIII.

39. Sunt enim defecti, vt vidiſti] *Pro* defecti, *in vno manuſcripto eſt* deſecti: *in aliis* effecti, *vt quam ſequar ſcripturam, non videam.*

EP. XXV.

40. Nam nunc Alexionis epiſtolis cedimus] *Vetus liber*, credimus.

EP. XXVIII.

41. Poſtea quàm rex appellatus ſit] *Vetus liber habet*, poſtea quàm rex potitus ſit, *vt ſine dubio videatur legendum*, poſtea quàm rerum potitus ſit.

EP. XXIX.

42. Vt mihi ille emptor non eſſe videatur] *Faërnus* non poſſe eſſe videatur: *ex antiquo libro locũ addito verbo* poſſe *reſtituit.*

EP. XXXII.

43. Τριπολιτικὸν non inuenio] *Antiquus liber habet*, περὶ πολιτικῶν non inuenio: *quam ſcripturam puto veriorem eſſe, licet τριπολιτικὸς liber citetur ab Athenæo.*

44. Annis XIIII. antequàm Prætor factus eſt, legatus eſſe nõ potuiſſet niſi admodum ſerò Quæſtor eſſet factus] *Ita emendatum eſt in libro doctiſſimi viri, cùm in aliis deſit* non, *& pro* eſſet factus, *ſit* eſt factus.

EP. XXXIII.

45. Cum Balbo autem puto te aliquid feciſſe H. in Capitolio] *Vetus liber* HC. CC. in Capitolio.

46. Negotium dederis] *Faërnus ingenioſè primus animaduertit*, negotium de dec. leg. *ſcribendum eſſe.*

EP. XXXIV.

47. Id potes per Egnatium. Maximum illud in primis] *Ita hunc locum interpungi debere putat Manutius;ſed malè: eſt enim* Maximus Egnatij *huius cognomen,qui in veteribus denariis* C. E G N A T I V S C N. F. C N. N. M A X S V M V S *deſcriptus eſt.*

EP. XXXVII.

48. Omnibus eum locis facere] *Rectiſſimè coniecit Faërnus legēdum eſſe,*omnibus eum locis furere.

49. Poſſe in diem tertium differri] *Sic eſt in antiquo, cùm in vulgatis deſit* tertium , *quod eſt in manuſcripto tribus* I I I .*notatum.*

EP. XXXIX.

50 Sed quid faciam] *Faërnus delebat vocẽ*, quid.

EP. XLIV.

51. Quam ille Diocharinæ] *Scriptus liber* Dicarcheæ,*vt fortaſſe* Dicęarcheæ *ſcribendum ſit.*

EP. XLV.

52. Lepta enim de ſua vi incuratione laborans] *Pantagathus* de ſua vini curatione : *ſed* incuratione *habet antiquus codex. infrà poſt vocem* liberam *addebat Faërnus* , cretionem.

53. Teſtib.præſentib.dieb.LXII.] *Ita hunc locum legit Ant. Auguſtinus,approbante lectionem Pantagatho,qui olim ita correxerat*, Teſtib.frequẽtib.ſexaginta diebus.

EP. XLVI.

54. Omiſi ea quæ in manib. habebam abieci] *Faërnus delebat verbum* abieci , *tanquam ſuperuacaneum , & quod temerè eſſet ab imperito librario inculcatum.*

EP. L.

55. Eʹμετικὴν agebat] egerat *Pantagathus.& paullo*

lo pòſt, Sed bene cocto conditoq. pauone, bono & ſingulari accipenſere, *pro* ſed bene cocto condito, ſermone bono ſi quæris libenter. *infrà etiam*, eãdem ad me quom reuertere, *legebat pro* eodẽ ad me cùm reuertere.

IN LIBRVM XIV.

EP. I.

56. Cùm pro Deiotaro Nicææ dixerit] diceret *Longolij liber, quod magis placet.*

EP. III.

57. Tranquillæ tuæ quidem litteræ] *Ita Faërnus ex antiquo libro.*

EP. X.

58. Meminiſti ne clamare] *Faërnus, & Ant. Auguſtinus* meminiſti me clamare. *Sed repugnat locus ſimilis in epiſtola* XV. Non ne meminiſti clamare te, omnia periiſſe, ſi ille funere elatus eſſet.

59. Mihi quidem ex tuis litteris coniectanti ita videbatur] tum lætanti *eſt in vetere libro, pro* coniectanti, *vt* tum lectitanti *fortaſſe ſit legendum.*

EP. XVI.

60. Itera dum eadem iſta mihi] *Ita Faërnus: &* iſtæc *pro* iſta, *id eſt, vt tu iteraſti Palilib. Palilib.*

EP. XVII.

61. De ſaxo in crucem] *Ant. Auguſtinus*, de ſaxo vel cruce *rectius: nam infrà dixit*, propoſita cruce vel ſaxo. cruce, *in quam tollatur*: ſaxo, *de quo deiiciatur.*

EP. XX.

62. Nam cùm te ſemper tantum dilexerim] dilexi *Faërnus.* EP. XXIV.

63. Simulac deſiſtemus timere] deſiſteremus *Faërnus,*

Faërnus, quod magis placet.

IN LIBRVM XV.

EP. I.

64. Ibi pęnè Valentem] planè *habet vetus liber*, *pro* pænè.

65. Sed ego ſolus alius ſum] *Pro* ſolus, *placet magis vt legatur*, totus.

EP. II.

66. Tyndaritanorum cauſa de qua laboras] de qua Panſa laborat, *habet liber manuſcriptus.*

EP III.

67. Vt ſcribis A M. Cato. de patre corā agemus] *Locus ſtellula in Aldinis notatus, poteſt ita reſtitui, ſi pro* A M. Cato, amice *legatur. Vetus liber habet*, ἄλας, *pro* ac de, *vt eſt à quibuſdam emendatum*; *vnde* alias *conijcio legendum, vt ſit*, vt ſcribis aliâs.

EP. IV.

68. Ille enim nunquam reuertiſſet: nos timor confirmare eius acta non coëgiſſet] *Amicus meus veteris libri ſequutus corruptam ſcripturam, ita hunc locum legebat:* Ille enim ſi vixiſſet, nūquam nos timore confirmare eius acta coëgiſſet.

EP. V.

69. Vt tu de prouincia Bruti & Caſſij per s. c. ita ſcribit] *Placet vt legatur*, Vt tu de prouincia Bruti & Caſſij perſcrutere ſcribit.

EP. VI.

70. Ne quod callidius] calidius *eſt in manuſcripto, & rectè*: θερμὸν *Græci eadē ſignificatione vſurpant.*

EP. VIII.

71. Debet aliquid craſtinus dies ad cogitandum nobis

nobis dare] *Vetus liber*, Sed aliquid craſtinus dies ad cogitandum nobis dabit.

EP. IX.

72. Vt Brutus in Aſia, Caſſius in Sicilia frumentum emendum] emundum *puto legendum ex auctoritate argentei denarij in quo* PISO, ET CÆPIO AD FRV. EMV. EX S. C. *deſcripti ſunt.*

EP. XI.

73. Niſi vt ſaluos eſſe] eſſet *vetus liber. paullo pòſt*, Quid ergo ages, *pro* agis.

74. Sed ſenatum vocari] ſcilicet ſenatum vocari, *eſt in manuſcripto.*

75. Idq. adeò genus] ad id genus, *habet antiquus liber, & rectè.*

EP. XII.

76. Noſter verò κὴ μάλα σεμνῶς in Aſiam] *Legendum auctoribus libris veteribus*, Noſter verò Brutus, κὴ ἄσμενος in Aſiam.

EP. XIIII.

77. Sed Selicia veniſſe M. Scaptium] Seruilia, *pro* Selicia, *rectè eſt in antiquo. & infrà*, Omnia ſumma vi feciſſe, *cùm in vulgatis deſit verbum* vi.

EP. XV.

78. Ne miniata cerula tua] *Leoniceni liber habet*, ne nimia ἀκριβείᾳ tua.

EP. XVII.

79. Nec cuiq. dedi niſi L. Fadio Ædili] *Ita eſt in manuſcripto, cùm in vulgatis deſit verbum* dedi.

EP. XXII.

80. Cum vtro erit, Sibellum erit] *Ita legendum ex vetere libro: in aliis deeſt* cum.

EP. XXIII.

81. Eo die Brutum Puteolis profectum] *Pro vò-*

ce Puteolis *in libro manuſcripto eſt*, his: *vt fortaſſe* Baiis *legendum ſit.*

EP. XXIIII.

82. Sic tamen vt ſi nihil offenſionis ſit] *Faërnus delebat aduerbium* vt.

83. Et tu etiam ſcribe quo die Olympia, cũ myſteria ſcilicet (vt tu) ſcires] *Locus, vt patet, mendoſus: poteſt autem commodè reſtitui, ſi ita corrigatur:* Et tu etiam ſcribe quo die Olympia, quo myſteria ſcilicet vt ſciam: *in vetere quodã libro ſcriptum eſt*, aueo etiam ſcire quo die Olympia.

EP. XXV.

84. Octauam partem Tullij luminarium in ædium adſtrane memineris] *In libro viri doctiſſimi vidi hunc locum ita in margine emendatum:* Octauam partem Tullianarum ædium abſtrahere memineris.

EP. XXVI.

85. Quod me de Bacchi] *Vetus liber habet*, Bacchide, *& ita opinor ſcribendum.*

86. Sed cur tu inquam] *Vetus liber*, ſed quorſum inquam.

IN LIBRVM XVI.

EP. I.

1. Nonis Iuliis] *Ant. Auguſtinus*, Nonis Iul. *rectius, conſentientibus etiam manuſcriptis libris.*

2. Non ſine bello ciuili video ſeruiendum] *Ita legitur in manuſcripto: in vulgatis deeſt* non.

3. Obius enim receſſis multa] *Lambinus reſtituit* Ouius: *in manũſcripto eſt* obuius.

EP. V.

4. O dies in auſpiciis Lepidi lepidè deſcriptos] *Ita*

Ita Faërnus auctore libro manuſcripto. LEPIDI *auguratus in eius denariis litui ſigno expreſſus eſt.*

EP. VI.

5. Vbi quidem fui ſanè libenter apud Thalnam noſtrum] *Magis placet, vt legatur,* Teſtam noſtrum: *quomodo video notatum in libro viri doctiſſimi. Eſt autem* Teſta *Trebatij cognomen, qui Veliæ domum habebat, ad quam conſueuit Cicero diuertere.*

EP. VII.

6. Me deſideraui & ſubaccuſaui] *Ita eſt in manuſcripto. & paullo pòſt,* Etenim quãuis non fueris ſuaſor, *pro* & ſi quamuis.

7. Aut tibi tum relinquere videbar] *Vetus liber* aut tibi cùm relinquere.

8. Nam ſi à Phædro noſtro expedita excuſatio eſſet] *Manuſcriptus habet*, expedita eſſet, excuſatio eſſet.

EP. VIII.

9. Impedimenta expectanda ſunt, quæ anagnia veniunt] quæ inania veniunt, *eſt in antiquo.*

EP. XIIII.

10. Quinctus tui patris nepos] *Vetus liber habet,* Quinctus tui pronepos, *vt fortaſſe legendũ ſit,* Quinctus aui tui pronepos.

EP. XV.

11. Poſſumus enim vt ſponſores non appellentur procuratorem introducere.] *Ita ſcriptum eſt in antiquo: in vulgatis deeſt* non.

EP. XIX.

12. Otij cauſa confirmare velint] *Faërnus* confirmari *meliore ſententia.*

IN LIB. CORNELII NEPOTIS DE VITA ATTICI.

13. Qua ex re à pueritia nobilis] *Faërnus ex antiquo libro legebat*, qua ex re nobilis, *delebatq́,* à pueritia. *quid ſi legatur*, qua ex re puer etiam nobilis &c.

14. C. Marij filius] *Placet vt legatur*, C. Marius filius.

15. Nupſerat Seruio fratri Sulpicij] *Libri manuſcripti omnes, & antiquæ etiam editiones habent*, Nupſerat M. Seruio fratri Sulpicij, *& ita omnino legendũ opinor: duobus enim ſimul prænominibus Sulpiciam familiam vſam fuiſſe, oſtendimus in libro De familiis Romanorum, in denario* L. SERVII RVFI, *adductis, quæ opinionem noſtram confirmarẽt, veterum ſcriptorum teſtimoniis.*

16. Vt ſingulis VI. modij tritici darentur, qui modus mẽſuræ medimnus Athenis appellatur] *Ita hũc locum primus Faërnus reſtituit, cùm antea* VIII. *pro* VII. *&* modius, *pro* modus, *legeretur.*

17. Communis infimis] comis, *pro* communis *mauult Ant. Auguſtinus.*

18. Et Piliæ] *Antiquus liber habet* Phidię: *placeret magis*, filiæ.

19. Quem diem ſic vniuerſa ciuitas Athenienſium proſecuta eſt] *Ant. Auguſtinus delet vocẽ* diem, *quod mirè placet. ſed placeret magis ſi legeretur*, Abeuntem ſic vniuerſa &c.

20. Vt ſemper optimarum partium] optimatum *opinor legi debere pro* optimarum.

21. Neq. geri ſine periculo] regi *pro* geri *legebat Faërnus.*

22. Ipſum Pompeium coniunctum] *Vide num*

melius

melius ſit,conniuentem,*pro* coniunctum. *paullo pòſt legẽdum*:Sed etiam ſorôris filium ei Q. Ciceronem. *in vulgatis deeſt* ei.

23. Ita vt Brutus & Caſſius in prouinciarũ quæ iis dicis cauſa] *Ant. Auguſtinus putat legi debere*, ita vt Brutus & Caſſius in prouincias,quę iis dicis cauſa.

24. Antonij familiares ſequebãtur]inſequebantur *Faërnus*.

25. Simulq́. aperire]*Videtur legendum* apparere. *& ita vidi notatum in libro Camilli Sighicelli.*

26. Qui cum plures annos ſtudio ductus philoſophiæ habitabat] *Opinor hunc locum ita neceſſariò corrigendum*, Qui cum eo complures annos ſtudio ductus philoſophiæ habitarat.

27. Catonis Mariiq. Hortenſii]*Rectiſſimè Ant. Auguſtinus primus oſtendit legendum eſſe* M. Catonis, Q. Hortenſij.

IN LIB. I. AD BRVTVM.

EP. I.

28. Si quid habes noui] habebis,*Faërnus ex vetere libro*.

EP. III.

29. Itaq. timeo de conſulatu, ne Cæſar tuus] *Faërnus delebat*, de conſulatu.

Quàm inde ſi conſul factus ſit deſcenſurum] *In manuſcripto eſt*, Quàm inde ſi conſul factus ſit, ſit deſcenſurus.

EP. IX.

30. Illudimur enim Brute cũ militum deliciis, tum Imperatoris inſolentia] *Videtur legendum* Imperatorum;*& in manuſcripto eſt*, Impp.

EP. XII.

31. Nihil profectò dubitabis pro his ſuſcipere aliter] *In libro qui fuit Leoniceni ſcriptum eſt :* Nihil profectò dubitabis pro me ſuſcipere quod ad ſalutem eorum pertineat.

EP. XIII.

32. Nihil ſcripſiſſem potius] *Placet Faërni coniectura, qui* ſcripſiſſe *putabat legendum.*

EP. XIIII.

33. Quanquam in hac ipſa ſapientia plus apparet] *Faërnus legebat* ſapientiæ, *pro* ſapientia, *longè meliore ſententia.*

34. Qui ſapientiſſimus fuit ex ſeptem] *Magis placet vt eſt in manuſcripto,* Qui & ſapiens fuit vnus ex ſeptem.

EP. XVI.

35. Saluidenum] *Opinor ſcribendũ eſſe* Saluidienum: *à Saluidia enim familia, Saluidienus nomen deductum eſt, vt à Naſidia, Naſidienus : & ita habent veteres lapides & libri.*

IN EP. BRVTI A GERMANIS REPERTAS.

EP. 3.

36. K. Apr. Carachio] *Videtur ſcribendum* Dyrrhachio, *ex epiſtola proxima.*

IN FRAGMENTVM EPISTOLÆ AD BRVTVM EX LIBRO INCERTO.

222. Tum Flauius erras inquit] *Opinor deſignari* C. FLAVIVM, *qui* LEG. PROPR. *in Bruti denariis deſcriptus eſt. Facit eius mentionem Cornelius Nepos in vita Attici, & Plutarchus in Bruto.*

IN LIB. I. AD Q. FRATREM.

EP. I.

1. Ad excellentem in omnibus rebus laudis cupiditatem] *Ita legẽdum opinor ex antiquo libro, in quo tamen* & excellentem, *mendosè, pro* ad excellentem *ſcriptum eſt.*

2. Fuiſſe in Aſia biennium] *Ita omnino legẽdum, cùm malè in omnibus vulgatis codicibus ſit* triennium. *paullo pòſt, pro* perterreri homines, *non dubito quin legendum ſit,* proteri homines.

3. Alienus autem noſter] *Lambinus edidit* Hallienus, *ſed malè:* ALLIENVS *enim eſt in vetere denario, quem cuſit, vt opinor hic idem* ALLIENVS: *in manuſcripto eſt* Allienus autem noſter eſt cum.

4. Cautiorem etiam ac diligentiorem] *Feliciter hunc locum reſtituit Faërnus, qui* cautionem etiã diligentiorem *legendum indicauit.*

5. Sit lictor non ſuæ ſæuitiæ, ſed tuę lenitatis apparitor] *Ita legendum, cùm in aliis deſit vox* ſæuitiæ.

6. Quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pequuniæ cupiditate abducti] *Vide num rectius ſit in manuſcripto;* quamobrem ſi poteſt reperiri ex eo genere hominum qui pequuniæ cupiditate abducti.

7. Hunc verò ad tuum numerum libẽter aſſcribito] ad tuorum numerum, *liber Longolij, rectius.*

8. Tibi ipſi illa] *Videtur legendum,* tibi ipſa illa.

9. His rebus nuper Cn. Octauius] C. Octauius *ſcribendum eſſe, docent libri veteres, & lapis antiquus Colotianus, in quo inciſum eſt:*

C. OCTAVIVS. C. F. C. N. C. P.

PATER AVGVSTI

TR. MIL. BIS. Q. ÆD. PL. CVM C. TORANIO. IVDEX. QVÆSTIONVM PR. PRO. COS. IMPERATOR APPELLATVS EX. PROVINCIA. MACEDONIA.

10. Cyrus ille à Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus eſt, ſed] *Ita ſcriptum eſt in antiquo.*

11. Quoniamq. in te retinẽdo fuit Aſia felicior] *Ita legebat Faërnus. & infrà*, ſuos coërcere, iuris ęquabilem tenere rationem, *ſine copula*, &c.

12. Vt medeare incommodis hominum] *Placet* omnium, *pro* hominum.

13. Et ſi mea pars] *Faërnus iure delebat hîc quoq. coniunctionis notam*, &c.

14. Propter ſingularẽ amorem, infinita in te auiditas gloriæ] *Legendum opinor*, Propter ſingularem in te amorem, infinita auiditas gloriæ.

EP. II.

15. Quod autem] quod item *Faërnus.*

16. Dionyſipolitas] *Opinor ſcribẽdum* Dionyſopolitas: *in veteribus enim numiſmatibus video inciſum*, ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΙΤΩΝ.

17. Fumo vt cõbureretur] *Pro* fumo *placeret ſi legeretur*, furno.

18. Sed & te oro] ſed te oro, *Faërnus ſine copula*, &c.

19. Equidem cùm ſpe ſum maxima, tum maiore etiam animo, vt in hac re ne caſum quidem vllum pertimeſcam] *Ita puto legendum hunc locum, comprobante etiam aliqua in parte, vetere ſcriptura.*

EP. III.

20. Aut etiam, ne te videre noluerim] voluerim, *eſt in vetere libro, pro* noluerim.

EP. IV.

21. Miſericordiæq. aſſignes] miſeriæq. *eſt in libro Faërni.*

IN LIBRVM II.

EP. I.

22. Seuerus Antiſtius] *Ant. Auguſtinus emendauit* Vetus Antiſtius: *eſt enim* VETVS, *Antiſtiæ familiæ cognomen, frequens, cùm apud veteres ſcriptores, tum in eius familiæ denariis. Sed poteſt* SEVERVS *etiam retineri, quod eſt eiuſdem gẽtis cognomen, vt ex inſcriptione, cuius exemplum ſubiiciam, intelligere poſſumus.*

SOLI INVICTO
MITHRÆ
T. ANTISTIVS. T. F.
STELLATINA
SEVERIANVS
DEDICAVIT.

EP. III.

23. Cum auctoritate peregerat] *Vetus liber*, quod auctoritate ſemper egerat: *& ita olim ex ingenio (vt puto) emendauit Daneſius.*

EP. IV.

24. Latiar erat exiturus] *In libro viri doctiſſimi emẽdatũ eſt*, Lucceius erat exiturus, *credo ex cõiectura.*

EP. V.

25. Simul ac ille venerit] ſimulatque venerit *Faërnus.*

EP. VIII.

26. Quod me admones de non curãtia] de noſtra Vrania *ex vetere quodam libro commodam, vt videtur*

detur, lectionem primus Faërnus elicuit.

EP. XII.

27. Exagitati tamen à Domitio publicani] tum *pro* tamen *Faërnus*: *&* dare *paulo pòſt, pro* dari.

28. Nos iudicamus, vos laudatis, inquit] vos colluditis, *eſt in manuſcripto.*

EP. XIV.

29. Plus vnus Cato fuerit] potuerit *legebat Faërnus ex loco ſimili in ep.* XIV. *lib.* IV.

EP. XV.

30. Num aut res eum, aut χαρακτὴρ nõ delectat?] *In Lõgolij libro ita ſcriptũ eſt, cùm in aliis deſit vox* cũ.

IN LIBRVM III.

EP. I.

31. Meſſidium] Muſſidium *libentius ſcriberem, quod eſt familiæ nomẽ in Cæſaris numiſmatibus: quamuis* Meſſidium, *à Meſſia gente ferri poſſit.*

32. Vt eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit] *Opinor totum hoc*, ex quo ignis erumpit, *gloſſema eſſe verbi* vaporarium.

33. Et ſalientibus additis] *In libro Leoniceni pro* additis, *ſcriptum eſt* aquis. *&* *paulo pòſt*, redimere, *pro* retinere.

34. Qui eſt ad Furinæ] Forinæ *ſcribendum eſt, ſi veteris inſcriptionis auctoritatem ſequi velimus.*

35. Tanquam philoſophia] philoſopha *rectiſſimè Faërnus*: *&* conueſtiuit *paulo pòſt.*

36. Vt deniq. illi palliati topiariam facere videãtur] *Opinor deſignari Hermas Græcorum, & doctorum præcipuè virorum, quorum imagines palliatæ erant in villis, vt ex eorum reliquiis quæ ſuperſunt, coniici poteſt.*

37. Tibi placere me ad eam reſcribere] *Ita Faërnus pro* ad eum, *vt eſt in aliis.*

38. Quam paullo antè acceperat ab Ariſtophaneo modo] ab Ariſtophane meo *emendatum eſt in margine libri, qui collatus eſt cum manuſcripto.*

EP. III.

39. Si nobiſcum eum rus aliquo eduxerimus] *Vide num rectius ſit*, ſi nobiſcum eum rurſus aliquò eduxerimus.

EP. IV.

40. Vt tu habeas, hortor] *Placet*, vt tamẽ habeas, hortor.

EP. V.

41. Tanquam id quod non poſtulo expectem] *Pro* tanquam *vetus liber habet* quum, *ex quo coniicio legendum eſſe*, quaſi.

EP. VI.

42. Habes duas] *Corrige*, habes ad duas.

EP. VII.

43. Hanc ſcripſi ante ad lychnuchum] *Deeſt vox* lucem, *vt integra lectio ſit*, Hanc ſcripſi ante lucem ad lychnuchum.

EP. VIII.

44. Craſſum Iunianum] P. Craſſus *hic* Iunianus *deſcriptus eſt in veteribus aliquot denariis, in quibus* Q. METELLI *quoq.* PII SCIPIONIS *nomen inciſum eſt, quòd eius legatus in Africa fuerit. Manutius autem putauit aliquando* Licinianum, *pro* Iunianum *debere emendari: ſed admonitus à me de vetuſtis denariis, eorum auctoritati repugnandum non cenſuit.*

EP. IX.

45. Cuius in hoc vno conſiderantiam & ego ſuſtinebo] inconſiderãtiam *magis placet, vt eſt in margine*

gine libri, qui emendatus eſt ex antiqua ſcriptura.

46. Quid ſi cæmentum bonum non haberem, deturbem ædificium? quòd quidem quotidie mihi magis placet] *Ex veteris libri corrupta ſcriptura, poteſt elici lectio (vt mihi videtur) commodior, ſi ita ſcribas:* Quid ſi cauſam tam bonã non haberẽ? de vrbano ædificio, quod quæris, cotidie mihi magis placet.

IN ORATIONEM PRO P. QVINCTIO.

1. Q. Hortenſij] Horteſius *ſcribi debere, & ita ſcripſiſſe antiquos, pro* Hortenſius, *non rectè quidam opinantur: hac in primis adducti ratione, quòd* ὁρτήσιος *Græci ſcribant, non* ὁρτήνσιος. *In ænea apud me tabella eſt* Hortenſius: *& ita habent omnes veteres libri; neq. aliter Latina huiuſmodi nomina proferre Græci ſolent, quàm exploſo ſemper, n, ante σ. exempla ſunt,* γαλλία ναρϐωνησία, *&* λουγδουνησία, *pro* Narbonenſis *&* Lugdunenſis: *ἱσπανία ταῤῥακωνησία, pro* Tarraconenſis: *&* Οὐάλης, *pro* Valens: Κλήμης *pro* Clemens. *ſexcentáque alia, quæ nullo negotio peti ex vtriuſque linguæ ſcriptoribus poſſunt.*

2. Ne me dicẽdo impediat] *Vide num rectius ſit,* ne me in dicendo impediat] *vt eſt in antiquo libro manuſcripto.*

3. Sex. Næui] Næuius, *an* Neuius *ſcribendum ſit, video à quibuſdam dubitari: dubitandi autem nulla erit occaſio, ſi veteres lapides inſpiciantur, & numiſmata, in quibus eſt* C. NÆVIVS BALBVS, *&* L. NÆVIVS SVRDINVS.

4. Non eo dico C. Aquilli] *Mihi rectius videtur, vt eſt in manuſcripto,* nec eo dico C. Aquilli.

5. Fit magna mutatio loci, non ingenij] *Videtur hoc tranſlatum ex Æſchinis oratione contra Cteſiphōtem:* οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξεν.

6. Quaſi ij qui magna fide ſocietatem gererent arbitrium pro ſocio condemnari ſolerent] *Octauius Pātagathus hunc locum ita legebat:* Quaſi ij qui magna fide ſocietatem gererent ad vltimum pro ſocio condemnari ſolerent. *ſed magis placet vt eſt in antiquo,* ad arbitrium pro ſocio &c.

7. Quod ſi facere nolit, atq. imbiberit eiuſmodi rationibus illũ ad ſuas conditiones perducere] *Pantagathus pro* imbiberit, *legebat* maluerit, *affirmabatq́ habere ſe huius lectionis auctores veteres libros, quorum ſcripturam erat ſequutus.*

8. Cuius ex edicto Prætoris Romani] *Vox* Romani, *& à veteribus aliquot libris abeſt, & mihi tollenda omnino videtur. Cùm enim* Prætor *duabus ferè litteris* Pr. *in veteribus monumentis notari ſoleat, imperiti librarij duo iis nomina ſignificari arbitrati, facilè in eo lapſi ſunt, vt pro vnica voce* Prætoris, *in contextum duas,* Prætoris *ſcilicet &* Romani *receperint.*

9. Sponſionem cum Sex. Næuio facere ſi bona ſua ex edicto P. Burrieni Prætoris dies xxx. poſſeſſa eſſent] *Ita hunc locum legebat Pantagathus, & rectè (vt videtur) tum quòd ſuprà quoq; idem dictum eſt neceſſariò,* Non recuſabat Quinctius quin ita ſatiſdare iuberet ſi bona poſſeſſa eſſent ex edicto, *tũ quòd formula ſponſionis in perſona Quinctij poſtulat* ſi: *in* Næuij *autem perſona vult* ni: *non enim vterq. idem ſpondet, ſed contraria. ſpōdet enim Quinctius, ſi iudicatum fuerit bona poſſeſſa eſſe, ſoluturum (verbi gratia) decem millia* HS: *negat autem id in quo ſpondet. Næuius verò ſpondet, ni iudicatũ fuerit bona poſſeſſa eſſe, ſoluturum*

decem

decem millia nummûm: affirmat autẽ id, in quo ſpõdet.

10. Ita in vtroq. excellũt] *Sequor veteris libri ſcri-pturam, in quo eſt*, excedunt, *pro* excellunt, *meliore, vt puto, ſententia.*

11. Etenim mors honeſta] *Non video cur men-doſus hic locus videri quibuſdam debeat: miſeria enim eius, qui honeſtate & bonis careat, non finitur morte, ſed ſequitur eum etiam mortuum, immò in poſtrema mor-tuorum ſorte ponit. Illud autẽ* ſæpè *refertur ad eos, qui turpes quidem ſunt, at non in egeſtate, quibus ſæpè acci-dit mors honeſta.*

12. Huic acerbiſſimum viro videntíque funus ducitur] *Trãſtulit hoc à Græcis, & ab Homero in pri-mis, apud quem eſt,*

οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.

13. Si de prædiis tuis ageretur] *Vetus liber* ſi du-pondius tuus ageretur, *pro eo quod alij habẽt*, dupon-dius vnus.

14. Sed ne ipſe quidem te conſuluiſti] *Abeſt hoc totum à vetere libro, & rectè, vt mihi videtur. infrà pro* Conſilio dediſſes, *in eodem manuſcripto eſt*, dediſſet.

15. Quærere quis procurator ſit] *Placet* ecquis procurator.

16. De me autem ita conſiderent] *Vetus liber nõ habet*, ita conſiderent, *& rectè, vt videtur; ſed pro* me-mini *habet infrà* meminerint.

17. Inferiorem eſſe patitur] *Magis placeret*, in-ferior.

18. Cuius procurator non omnia iudicia acce-perit quæ quiſq. in verba poſtularit] *Vetus liber* cu-ius procurator omnia iudicia acceperit quæque quis in verba poſtularit.

19. Se iudicium id quod edat accipere] *Octauius Pan-*

Pantagathus delet, id: *& paulo pòſt*, Tu aliquem patronum inuenies: *pro* aliquem, *legit* neminem, *ſine interrogationis nota. infrà*, volitabas, *pro* velitabaris.

20. Vt nobili ne gladiatori quidẽ hæreret] faueret *habet vetus liber*: *pro quo* cederet *legit Hotomanus.*

21. Potentiſſimus erat Næuius] *Ita legendum, cùm in aliis deſit verbum* erat.

22. Prę̨ſtituẽdę horæ ad arbitriũ noſtrũ] cõſtituẽdæ *vetus liber. & paulo pòſt*, arcebitur, *pro* arceſſetur.

23. Cur ceteri ſponſores] *Placet* poſſeſſores, *vt eſt in antiquo libro*, *pro* ſponſores.

24. Tam inſignitè improbus] inſigniter, *rectius, vetus liber.*

25. Grauiſſimum debet eſſe] *Pantagathus legit*, debere eſſe.

IN ORATIONEM PRO SEX. ROSCIO.

1. Huic idem quæſtioni iudex præeſſes] eidem, *pro* idem *legit Ant. Auguſtinus*, *& rectè, vt videtur*: Cn. *enim Dolabella erat Prætor Vrbanus hoc anno, at M. Fannius iudicia exercebat inter ſicarios, vt ante Roſcij cauſam, alias huiuſmodi cognouerit.*

2. Qui nondum etiam omnia paterno funeri iuſta ſoluiſſet] *Ita eſt in optimo, eoq́; peruetuſto libro, cùm in aliis deſit verbum* omnia. *Græcus etiã antiquus ſcriptor eodem ſenſu* πάντα τὰ νομιζόμενα *dixit.*

3. Vt mori mallet, quàm his rebus Sullam doceri] *Ant. Auguſtinus pro* mori, *legit* omnia, *quomodo Cicero cùm alibi locutus eſt, tum ad Q. Fratrem.*

4. Ad Cæciliam Nepotis filiam] *Ita legebat Pantagathus: & in fine orationis tollebat verba illa* Balearici & ſororem, *gloſſemata, vt opinor, interpretis alicuius. Exiſtimabat autem* Cæciliam *hanc vxorem eſſe Sullæ,*

Sullæ,ad quem confugerit Sex.Roſcius, *cuius interceſſione paſſus ſit Sulla fieri iudicium cõtra Chryſogonum, tametſi gratioſum libertum* : Nepotis *verò filiam eius eſſe,qui ante annos* XVIII. *Conſul fuit*; *cùm Balearicus annos ante* XLIV. *Conſul fuerit : vnde neceſſe eſſet, tunc vetulam fuiſſe. Plutarchus de Metella hac Sullæ vxore facit mentionem in vita Sullæ.*

5. Ab inimicis bona adempta, poſſeſſa, direpta] *Ant. Auguſtinus delet vocem* adempta, *pro qua Octauius Pantagathus reponebat* empta : *nam & ſuprà dixit*, Bonorum emptio, flagitioſa poſſeſſio, furta, rapinæ, *quæ ad reliquas fortunas referuntur, non ad prædia, neq. domum.*

6. Nulla res tanta exiſtat iudices] *Magis placeret* exiſtet, *ſi antiquus aliquis liber eam ſcripturam confirmaret.*

7. Memoria retinet] *Vetus liber* tenet, *quod magis placet.*

8. Quos quia ſeruare per compoſitionem volebat] *Vide num melius ſit*, qui quos ſeruare &c.

9. Annos natus magis quadraginta] maior, *pro* magis *habet antiquus liber. & paullo pòſt* : Quæ vita maximè diſiuncta eſt, *cùm in aliis deſit verbum* eſt, *ad ſententiam neceſſarium.*

10. Tamen ne hæc attenta vita & ruſticana] *Pro* attenta, *amicus meus homo doctus, ex veſtigiis veteris ſcripturæ legebat* arta.

11. Cùm ruri aſſiduus ſemper vixerit] qui ruri aſſiduus &c. *quod magis placet. paullo pòſt vetus liber pro* rure vocaturus, *habet* reuocaturus.

12. Et legem Memmiam putares aliquid valere oportere] *Ant. Auguſtinus vetuſtorum codicum, & Pãd. Flor. ſecutus ſcripturã*, Remiam, *pro* Memmiam

emendauit

emendauit: quam lectionẽ Gabrieli *quoq;* Faerno *placuiſſe ex eius annotatione ad oram libri, cognoui. Ego* Reniæ *gentis præterquàm apud Tacitum in lib.* II. *mentionem non inueni:* Reniæ *extat memoria in antiquis denariis.*

13. T. Clœlium quendam Terracinẽſem] *Quidã emendant* Tarracinenſem, *ſed malè: eſt enim* Terracenenſem *ſcriptum in vetuſtiſſimo libro, eamq; ſcripturam confirmat antiquus lapis, in quo* TERRACENA *inciſum eſt, pro* Tarracina.

14. Quid poſtea? erat ſanè ſuſpicioſum, neutrum ſenſiſſe quenquam] *Variè legitur hic locus in manuſcriptis, in quorum vno eſt*, quid poterat enim tam ſuſpicioſum eſſe, aut neutrum ſenſiſſe aut auſum &c. *in altero*, quod poterat ſatis eſſe ſuſpicioſum, aut neutrum &c.

15. Ita quæro abs te C. Eruci, quo modo, & ſic tecum agam] *Melius, vt opinor, eſt in antiquo libro;* Itaque abs te C. Eruci quæro, & ſic tecum agam.

16. Interim mihi videris] interdũ *vetus liber habet: & infrà,* perſequar, *pro* proſequar.

17. Auaritiam præfers] prætefers *eſt in manuſcripto, & ita videtur melius.*

18. Curtios, Marios, deniq. Mamercos] *Veteres libri pro* Mamercos *partim habẽt* Mammeos, *partim verò* Memmeos, *vt dubitandum non ſit, quin* Memmios *legi debeat; qua quidem lectione nihil poteſt huic loco aptius excogitari: fuerunt enim Memmij accuſatores illis temporibus clari, de quibus ita ſcriptum eſt in Bruto*: Tum etiam C. & L. Memmij fuerunt oratores mediocres, accuſatores acres, atq. acerbi. itaq. in iudicium capitis multos vocauerunt: pro reis nõ ſæpè dixerunt.

19. Neq. enim accuſatore muto] inuito *emẽdabat Faërnus pro* muto, *& ita eſt in veteribus aliquot libris*.

20. Hiſce aliqua fretum hora ſemper omnes aditus ad Sullam intercludere] *Ita legit hunc locum Victorius. At Manutius habet* fretus, *nihilo meliore ſententia. Pantagathus pro* fretus, *reponebat* fretis, *optima, vt ei videbatur, ſententia.*

21. Iudiciumq. infamia reuocatur] infame *olim Faërnus, à quo emendationem accepit Lambinus: ſed videndum num melius ſit*, iudiciiq. infamiam.

22. Vos dominos eſſe dicitis] *Vetus liber* dominum *habet, pro* dominos.

23. Qui neq. apud aduerſarios occiſus eſt] *Deeſt* qui neq. proſcriptus, neq. apud &c.

24. Quæ hoc tempore in Rep. verſata eſt] *In libro manuſcripto pro* verſata, *ſcriptum eſt* graſſata: *quæ ſcriptura vehementer mihi placet.*

IN ORATIONEM PRO Q. ROSCIO.

1. Malitiam naturæ crederetur, is ſcilicet] *Locum ſine dubio mendoſum reſtitui poſſe exiſtimat Ant. Auguſtinus, ſi interpunctionis nota ponatur poſt verbum* naturæ, *& pro* crederetur, *legatur* credetur. *quæ lectio mihi quidem non multum ſatisfacit: nec enim operam ponendam cenſeo in loco planè trunco reſtituendo, qui adhuc reſtitutus maneat truncus. videtur autem ſenſus huius loci fuiſſe, quòd alicui crederetur ſuas tabulas fideles affirmanti, in quo nulla naturæ malitia antè perſpexiſſemus &c. qui conatur &c. Duriuſcula verò erit lectio*, ſi ſcilicet *tertio loco ponatur*: *&* credetur, *pro* crede-

crederetur, *minimè neceſſarium contra veteres codices præſertim.*

2. Qui per tabulas homines citi pecuniā expenſam tulerunt] *Ita legit Victorius; Manutius verò,* homines honeſti, *quod nimis abeſt à primo: Ant. Auguſtinus putat legendum* tabulis hominis ſciti, *quæ tamen lectio nec ipſi penitus ſatisfacit, & iure quidē: nam non eſt neceſſe mutare* per tabulas *in* tabulis, *& proprietas* ſciti *hic non habet locum. Quid ſi legatur* hominis acciti? *quòd aliquàndo qui alteri pecuniam numerarent, ipſi manu ſua in tabulas illam expenſam non ferrent, ſed alium accirent, qui eam expenſam ferret. Pantagathus pro* citi, *legebat* alieni, *nimis longè à vulgata ſcriptura.*

3. Quominus ſecundum illum iudicetis] *Vetus liber habet* ſecundum illas, *vt ad* tabulas *referatur.*

4. Paullò antè à M. Perperna P. Saturi tabulas poſcebamus tuas, nunc C. Fanni Chærea ſolius flagitamus] *Ita hunc locum legebat Pantagathus. in vetere autem libro ſcriptum eſt,* Paullò ante M. Perpernæ P. Saturi tabulas poſcebamus, nunc tuas C. Fanni &c.

5. Nimium citò ait me indignari de tabulis] indagare, *pro* indignari *ſcriptum eſt in antiquo. & infrà,* Non modò ex tuis tabulis.

6. Hæc ſunt deiecta] *Vide num melius ſit,* coniecta, *vt eſt in vetere libro.*

7. Dari repromittiue, ſi pateret] dari repromittiue tibi petieris *Pantagathus.*

8. Adnumeraſſe ſe ſe negat] *Ita legit Manutius, pro* adulteraſſe, *ſiue ea ſit antiqua lectio, ſiue (vt magis credo) coniectura. Ant. Auguſtinus* adnotaſſe: *Pantagathus* aduerſaria ſcripſiſſe: *quæ lectio elicitur ex*

 ſuperio-

ſuperioribus,& ex triplici genere memoriæ, aduerſariorum,codicum,& ſtipulationum.In veteris autem libri margine manu docti, vt videtur,viri,notatum eſt, dediſſe.

9. Perinde dicemus] *Pātagathus tollit aduerbium* perinde,*quod eſt ſecundo loco poſitum*.

10. Aliquem timidum dementem] clementem *eſt in manuſcripto pro* dementem,*quod non ita placet*.

11. Cur non arbitrum pro ſocio] *Vetus liber* cur non ad arbitrum, &c.

12. Quod temerè commiſiſti in iudicium vt denuntiaret, rogaſti vt ignoſceret: te affuturum negaſti: debere tibi &c.] *Ita Pantagathus legebat hunc locum*.

13. Si ſit hoc vero] ſi ſit hoc verum,*ſcriptum eſt in vetere libro*.

14. Teſtem ſuſcitabo] *Magis placet* excitabo, *vt eſt in manuſcripto*.

15. Namq. ſi ille perſequi voluit,non,quod in ſe fuit, iudicauit Roſcium ſuas non ſocietatis lites rediſſe?] *Ita Pantagathus legebat*.

16. T Manilij,C.Lucij Ocreæ duorum Senatorum] *Ant. Auguſtinus ſuſpicatur* Ocric *legēdum eſſe, pro* Ocreæ,*vt ſit nomē Tribus Ocriculanæ,in qua Luſcius cenſeretur.huius autem ſcripturæ in veteribus aliquot libris veſtigia adhuc remanent nō obſcura, in quibus* Ocric *ſcriptum cùm olim fuiſſet, mox* Ocriæ;*id in* Ocreæ *mutatum poſtremò fuit. cuius quidem cognominis memoria nuſquam,quòd ſciam,extat,cùm Ocriculanæ Tribus mentio in veteribus monumentis frequens reperiatur.* Sex. Pompeius Sex. F. Ocric. ciuica. Q. Claudius Q. F. Ocric. Victor. D. Iunius Q. F. Ocric. Pollux minor. M. Seruilius M. F. Ocricul. Seuerus.

17. Si diceret iuratus] dixiſſet, *vetus liber.*

18. Non enim ex pactione verborum] *Puto melius legi in antiquo,* non enim ex peractione verborũ.

19. Quo nihil captioſius neq. indignius poſſet dici] *Suprà dixit,* O ſocietatem captioſam, & indignam. *vbi* iniquam *legit Lãbinus prò* indignam : *itaq; vel hic etiam* iniquius, *pro* indignius *legendum eſt, vel ſuprà nihil mutandum.*

20. Quod tum exactum eſſet] *Pantagathus,* id cùm redactum eſſet.

IN DIVINATIONEM.

IN C. VERREM.

1. Si quis veſtrum iudices] *Videtur adumbraſſe initium orationis Æſchinis contra Timarchum, quod eſt:* οὐδένα πώποτε τῶν πολιτῶν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι οὔτε γραφὴν γραψάμενος, οὔτ᾽ ἐν εὐθύναις λυπήσας &c.

2. Ad eam partem acceſſiſſe Reip. ſubleuandæ] *Mihi magis placeret* ſubleuandam, *ſi antiqui alicuius libri auctoritas accederet.*

3. Quòd omnino Marcellorum nomini tota illa prouincia adiuncta ſit] *Quidam pro* adiuncta *legunt* addicta, *ſiue* aduincta. *Marcellos fuiſſe Siciliæ patronos teſtantur veteres eius familiæ denarij, in quibus cùm alia eius prouinciæ ſymbola impreſſa ſunt, tum ſpica, & tria crura, à quibus Sicilia Trinacria appellata fuit.*

4. Quamuis vt hoc mallent] hi *pro* hoc *quidam legunt, ſed malè, vt opinor; nam* ſuſcipere *eſſet alioqui abſolutum : nunc habet* hoc, *videlicet onus præſidij & officij. neq. hic neceſſarius eſt rectus caſus, qui ſi addendus eſſet, non* hi, *ſed* illi, *dixiſſet, vt ſuprà bis.*

5. Quam omni ratione iactaturus] oratione *ha-*

bet vetus liber,ſed magis placet ratione.

6. Et Cæcilius tum denique ſe aliquid futurum putet] *Quidam pro* aliquid,*repoſuerunt* aliquem : *at ipſe Cicero contra eos facit ſuprà*,vt tu tandem aliquid eſſe videare.

7. Columna Menia] Mænia *ſcribendum eſt ex veterum lapidum & denariorum auctoritate, in quibus eſt huius familiæ nomen inſcriptum. In veteribus libris eſt*,ad columnam Mæniam,*quod mihi magis placet.*

8. Vt hoc Quæſtori Cæcilio viro optimo, & homini æquiſſimo nuntiatum eſt] *Placet Ant. Auguſtini coniectura,qui legit* Q. Cæcilio. *ſæpè enim* Q. *in* Quæſtorem: P. *in* Prætorem : C. *in* Conſulem *mutare librarij ſolent.*

9. Quid, ſi ne iniuriæ quidem] *Magis placeret* quod,*pro* quid, *deleta interrogationis nota,quæ eſt ad verbum* remanet.

10. Neq. Cn. Pompeio in T. Albucium] T. Æbutium *legendum eſſe veteres & libri, & lapides admonent,in quibus eius familiæ nomen inciſum eſt.*

11. Cui Quæſtor fueram] *Cùm in manuſcripto ſit*, cui cùm Quæſtor fueram, *coniecturam facio legendum eſſe*, quoius Quæſtor fueram.

12. Quæ in amicitiam populi Romani ditionemque eſſent] veniſſent, *habet vetus liber, & rectè, pro* eſſent. *hæc enim formula reperitur in antiquis etiam monumentis. Videtur autem ſcribendum* dicionem *ex auctoritate vetutiſſimæ tabulæ aneæ , in qua inciſum eſt*, QVOIVE. IN. ARBITRATV. DICIONE. POTESTATE. AMICITIA. POPVLI. ROMANI.

IN

IN PROOEMIVM ACCVSATIONIS IN C. VERREM.

1. M'. Glabrioni Pr.] *In veteribus libris eſt* M. Glabrioni: *quam ſcripturam penitus reiicerem, niſi in vetuſtis denariis* M. ACILIVS M. F. *inſcriptum reperiretur: vt Marci aliquãdo prænomine Aciliam familiam vſam fuiſſe intelligere inde poſſimus.*

2. Cui legatus, & pro Quæſtore fuiſſet] *Magis placet vt eſt in vetuſtiſſimo libro ſine coniunctionis nota*, cui legatus pro Quæſtore fuiſſet. *ſic enim in antiquis denariis huiuſmodi tituli, ſine aliqua copula inſcripti leguntur*, LEG. PRO Q. *&*, LEG. PRO PR. *in eodem autem libro manuſcripto bis addita eſt particula* tum, *quæ in vulgatis deeſt.* Depeculatus eſt tum cùm in Cn. Dolabellam, &c. Et inſtaurauit Quęſtorium tum cùm in eum &c.

3. Ex his quaſi x̄. Fiſcos ad Senatorem illum relictos eſſe] delatos eſſe *ſcriptum eſt in vetuſtiſſimo libro: quæ tamẽ lectio nõ placet. Cornelius Fronto Grammaticus in exemplis elocutionum citat Ciceronis locum in particula* ad, *quam docet poni pro iuxta vel circa.* Sed grauius (*inquit*) his affertur exemplum prima actione in Verr. quaſi decem Fiſcos ad Senatorem relictos ex his. *quid ſi* relatos *legamus?*

4. Accedet nobis etiam illud] *Deeſt particula* ſed, *quæ in manuſcripto reperitur, neceſſaria, vt videtur, ad huius loci ſententiam, vt ſit*, ſed accedet.

5. Q. Cornificium] Q. Cornyficius *inciſum eſt in veteribus denariis, &* Κορνουφίκιος *item apud Appianum & Dionem: ita etiam hic ſcribendum eſſe opinor.*

6. Nunc autem homines in ſpeculis ſunt] *Videtur*

tur hic locus tranſlatus ex illo Dinarchi. ὁρᾶτε γὰρ ὦ ἀθηναῖοι, ὅτι παρὰ μὲν ὑμῖν Δημοσθένης οὑτοσὶ κρίνεται; παρὰ δὲ τοῖς ἄλλοις, ὑμεῖς: οἱ σκοποῦσι τίνα ποτὲ γνώμην ἕξετε περὶ τῶν τῇ πατρίδι συμφερόντων, καὶ πότερον τὰς ἰδίας τούτων δωροδοκίας καὶ πονηρίας ἀναδέχεσθε εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς, ἢ φανερὸν πᾶσιν ἀνθρώποις ποιήσετε, ὅτι μισεῖτε τοὺς κατὰ τῆς πολιτείας δῶρα λαμβάνοντας.

IN LIBRVM I. ACCVSATIONIS IN C. VERREM.

Variè Ciceronis Verrinas orationes inſcribũt Grammatici: & variè in veteribus etiam libris inſcriptæ reperiuntur. hanc autem orationem Primus Accuſationis liber *inſcribi debere, ex ipſius Ciceronis verbis intelligere poſſumus, quæ ſunt in Oratore ad Brutum.* Adhibenda eſt (*inquit*) numeroſa oratio, ſi aut laudãdum eſt aliquid ornatius, vt nos in accuſationis ſecundo de Siciliæ laudibus diximus: aut in Senatu de conſulatu meo: aut exponẽda narratio quæ plus dignitatis deſiderat, quàm doloris, vt in quarto accuſationis de Ennenſi Cerere, de Segeſtana Diana, de Syracuſarum ſitu diximus &c. *Prima igitur oratio, quæ* Diuinatio *dicitur, nihil ad Verris cauſam pertinet, ſed cum Cæcilio contendit Cicero vter melior futurus ſit Verris accuſator, ipſe ne, an Cæcilius. Secũda, præparatio quædam eſt ad iudicium & teſtiũ interrogationem. In tertia demum incipit Verrem accuſare, qui primus liber accuſationis à Cicerone quidem dicitur, à Grammaticis verò* Prætura vrbana *inſcribitur; cùm ſecũdus* Sicilienſis; *tertius* Frumentaria; *quartus* De ſignis; *quintus* De ſuppliciis *inſcribantur.*

7. Iam illo tempore oſtendi] tantum illo tempore

re &c. *ſcriptum eſt in vetere libro, vnde coniicio legi debere*, iam tum illo tempore.

8. Verres ſimul ac tetigit prouinciã ſtatim Meſſanam litteras dedit] Meſſana *habet Manutius, & ita olim Ant. Auguſtinus emendarat. adeũtibus enim ex Italia Siciliam, Meſſana primùm vt attingatur, neceſſe eſt; vnde Haleſam Verres litteras dedit.*

9. Vt res in illud tempus reiiceretur] *Quidam* aliud *legunt pro* illud, *quod non placet: reſpicit enim ad Hortẽſij conſulatum, in quod tẽpus differri iudicium Verres cupiebat.*

10. Quibus data eſſent deſcribere] *Vetus liber habet* perſcribere, *quod magis placet.*

11. Eo Sullanus repentè factus eſt] factus es *legit Ant. Auguſtinus: & ſuprà pro* HS. mille ſexcenta *vt eſt in vulgatis editionibus, emendat* HS decies ſexcenta &c. *quæ quidem emendatio, cùm vulgata lectio ferri poſſit, non eſt neceſſaria: tantundem enim ſignificant mille ſexcenta, & decies ſexcenta: atque vtrunq. in vſu eſt.*

12. Quam clara apud omnes] *Pro* omnes *eſt in veteribus libris* deos, *ex quo factum eſt à quibuſdam* cos: *ſed magis placet, vt legatur* omnes.

13. Quam horis tuis] *Abeſt à vetere libro vox* tuis.

14. Comiteſq. eius item apud ceteros hoſpites collocantur] apud certos hoſpites *magis placet, vt eſt in vetere libro.*

15. Teſtimonium C. Verris in Artemidorũ non multo pòſt in domum] *Ant. Auguſtinus cùm* Philodamum *pro* domum *reponit, propius quidem accedit, ſed non planè intrat: nam quis iſte eſt Artemidorus nuſquam antea in hac cauſa nominatus? itaque rectè*

Pantagathus duo putabat eſſe Verris teſtimonia, alterum in ipſum patrem familias Philodamum, alterum in reliquam domum, atque ita legendum eſſe, Teſtimonium C. Verris in Philodamum, non multo pòſt, in domum.

16. Cum ad HS. viciesquinquies] *Placeret* tricies *pro* vicies, *ſi antiqua lectio eſſet.*

17. Deinde in codicis extrema cera] *Vetus liber,* deinde codicis ad extremam ceram: *quæ lectio melior videtur.*

18. Hinc ratio cum Q. & Cn. Poſtumiis Curtiis multis nominibus quorum in tabulis iſte habet nullum] *Ant. Auguſtinus pro* nullum *legit* millies: *ſed præterquam quòd hæc ſumma eſt immanis, etiam illud contra facit, quòd* nullum *refertur ad* nomina, *vt ſit, iſte nomen nullum habet. hîc libẽter legerem* Poſtumis Curtiis, *vt alibi eſt apud Ciceronem de altero Poſtumo.*

19. Atq. hos ſi in poſterum] *Placet* Atqui, *vt eſt in manuſcripto: & infrà,* Sed tantum vituperari poſſet, *pro* ſed tum vituperari poſſet, *quod eſt in vulgatis.*

20. Ita de hereditate certaret] *Scribendum ex antiquo,* & ita de hereditate certatur.

21. Vt audiſtis] *Vetus liber habet,* id quod ſæpè audiſtis.

22. C. Sulpicius Olympius fuit] *In vetere libro ſcriptum eſt,* C. Sulpici Olympus fuit, *& ita locutus eſt in epiſt.* XVII. *lib.* III. *ad Atticum. placet autem* Olympus, *quia id cognomen in antiquis etiam lapidibus inuenitur.*

23. Debere eum aiebat ſuam quoque rationem docere] ſui *quidam legunt.*

24. L. Sulla Q. Metello Cos.] *Vetus liber pro* cos. *habet* cens. *quod placet.*

25. L. Ra-

25. L. Rabonio ædem Caſtoris] *Priſcianus citat hunc locum, ſed* Habonium *appellat, pro* Rabonium, *errore non puto librariorum, ſed antiqua ſcribendi ratione, qua in vetuſto quodam lapide inciſum reperitur,* Operiſq. incroandi: *&* Ruius oper: *&* T. Fl. Arcreſilaus, *pro* inchoandi, huius, *&* Archeſilaus.

26. Non cuiuſquam auctoritas pro pretio] *Videtur legendum* præ pretio.

27. Et ſi non putas cautum] *Vetus liber* & ſi non putas, caueto. .

28. Lex opere faciundo. quæ? Pupilli Iunij. dic dic quæſo clarius] *Ita habet Manutius, & Victorius: ſed vterq. malè. Ant. Auguſtinus optimè, ſiue ea coniectura ſit, ſiue antiqua lectio.* Lex operi faciundo pupilli Iunij. quæ? dic dic quæſo clarius. *Cōfirmatur hæc lectio antiqua inſcriptione Neapolitana, quæ totū hūc locū mirificè illuſtrat.* Lex parieti faciundo &c. *vnde apparet* operi *legendū eſſe, nō* opere. *in fine tabulæ inciſum eſt.* Hoc. opus. omne facito arbitratu duo vir. & duum viratium. qui. in. conſilio. eſſe. ſolēt. Puteolis. dum. ni. minus. viginti. adſient. cum. ea. res. conſuletur. quod. eorum viginti. iurati. probauerint. probum. eſto. quod. ieis. improbarint. improbum. eſto. dies. operis k. Nouemb. primeis. dies pequn. pars. dimidia. dabitur. vbi. prædia. ſatis. ſubſignata. erunt, altera pars. dimidia. ſoluetur. opere. effecto probatoq. &c. *ſuprà,* Bonis prædibus prædiiſq. vendundis, *Pantagathus legit* cauendi *pro* vendundis. *dixit enim paullo pòſt*, Probatio futura eſt tua qui locas: prædibus & prædiis populo cautum eſt.

29. Corriguntur leges cenſoriæ. quod enim video in multis] *Mihi magis placet vt eſt in antiquo,* corrigūtur leges cēſoriæ. quid enim? video in multis,

30. Quod

30. Quòd tum codicem obſignaſſem] *Vetus liber melius habet*, quòd eum codicem obſignaſſem.

31. Qui de ſua pecunia HS DIX millia numerauit] *Ita Victorius: at Manutius* DXL. millia: *quã ſcripturam Lambinus retinuit. Ego Ant. Auguſtini coniecturam probo, qui* CDL. millia *legendum putat: ſequitur enim*, de HS DIX millibus remiſit D. Bruto HS CX millia. *Paullo poſt legerem*, quod iam iſte facere non poterat opere addicto: *nam infrà habet*, certè facere nõ potuiſſet, *pro* ferre.

32. Paullo tamen obſoletius veſtitum videret] *Vetuſtiſſimus, atq. idem optimus liber pro* paullo *habet* aliquando, *ſiue illud* aliquãto *ſit* t. *in* d. *à librariis, vt ſæpe fit, mutato.*

33. Atq. etiam iudicium] *Vetus liber* atqui. *paullo poſt, pro* re *Priſcianus legit*, re vera.

34. Q. Curtium] *Hic fortaſſe* Q. Curtius *eſt, qui cum* M. Silano, *&* Cn. Domitio, *quorum in ſequenti libro meminit, monetæ cudendæ curator æreа numiſmata & argentea, quæ cum ipſius nomine circumferuntur, ſignauit.*

35. Cuius mihi copiam quam largiſſimè factam oportebat] *Vetus liber*, cuius mihi poteſtatem quam largiſſimam fieri oportebat: *&*, quos iſte annuerat, *pro*, cùm is annuerat.

IN LIBRVM II.

1. Quæ ſemel in amicitiam noſtram veniſſent] *Gabriël Faërnus pro* veniſſent, *legebat* rediiſſent, *nullis veteribus libris auctoribus, ſed coniectura tantum ductus. intelligendum autem, vt opinor, de ſeptemdecim illis ciuitatibus, de quibus in lib.* VI. Nos (*inquit*) in ſeptemdecim populis Siciliæ non eramus: nos ſemper

in

in omnibus Punicis Siciliēſibusq. bellis amicitiam fidemq. populi R. ſecuti ſumus.

2. Itaque ille M. Cato ſapiens cellam penariam Reip. noſtræ, nutricem plebis Romanæ, Siciliā appellauit] *Polybius de Sicilia*: καλοῦσι δ' αὐτὴν ταμεῖον τῆς ῥώμης &c. *& Strabo lib.* VI. καὶ δὴ καὶ καλοῦσιν αὐτὴν ταμεῖον τῆς ῥώμης. κομίζεται γὰρ τὰ γιγνόμενα πάντα, πλὴν ὀλίγων τῶν αὐτόθι ἀναλισκομένων, δεῦρο. ταῦτα δ' ἐστὶν οὐχ οἱ καρποὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ βοσκήματα, καὶ δέρματα, καὶ ἔρια, καὶ τὰ τοιαῦτα.

3. Sed ſic à maioribus ſuis acceperant] *Ita legendum videtur, cùm in vulgatis deſit* ſed.

4. Caleni] Kaleni *ſcriptum eſt in vetere libro, & in argenteo etiam denario: eſt autem* Kalenus *Fuſiæ familiæ cognomen.*

5. Nam ſi hanc defenſionem probabitis] probatis, *vetus liber. & paullò infrà,* Nemo vnquā reus tam nocens adducetur, *pro eo quod eſt in vulgatis*, nemo vnquam tam reus, tam nocens.

6. Si verò illud quoq. accedet] *Vetus liber rectius,* quid verò ſi illud quoque accedet.

7. Si non accipit, quod te debere dicis, accuſes: ſi petit, ducas] *Amicus meus legebat*, ſi nō accipis, quod tibi debere dicis, accuſes: ſi patitur, ducas: *Tolerabilior autem Manutij lectio videtur*, ſi petit: *nam illo modo, nemo vnquam duceretur: nemo enim pateretur ſe duci. niſi fortè ita exponas: ſi patitur ſcilicet indiciū.* Petitur *verò, vt legit Victorius, ſine certa perſona, hoc loco non bene habet.*

8. Domi certet ſuis legibus] *Hac formula ita in vetere apud me Senatuſconſulto Græcè ſcripto expreſſa eſt*: ἐάντε ἐν ταῖς ἑαυτῶν πατρίσιν κατὰ τοὺς ἰδίους νόμους βούλωνται κρίνεσθαι.

9. Iſte

9. Iſte omnibus iudiciis diem diſtulit] *Pro* diſtulit *Faërnus legebat* diffidit: *quam ego veram huius loci lectionem puto.*

10. Cum recentibus beneficiis M. Marcelli] *Videtur legendum* C. Marcelli *ex loco ſimili.*

11. Nunquam Prætorem tam palæſtricum vidiſtis] *Manuſcriptus liber habet*, palæſtritam: *ſed magis placet* Palæſtricum *quàm* palæſtritam: *nam illud hoc communius. neq. nunc* Prætorem palæſtritam *dicit, ſed ſæpe quæſtum facientem ex palæſtra. In eodem manuſcripto*, quod præſens eſſet *ſcriptum eſt*, *pro* cùm præſenſiſſet: *& infrà* ni reſtituebatur, *pro* non reſtituebantur.

12. Vbi videt eſſe aliquid, quòd amici abſentem Epicratem nollent defendere] *Puto legendum*, quòd amici abſente Epicrate, *non vt quidam*, in quo amici abſentem Epicratem, *emendarunt.*

13. Vt non tàm ſuam præturam gerere] *Melius in antiquo*, vt non tam ipſe præturam &c.

14. Sua auctoritate præbuiſſet] *Vetus liber* poſſediſſet *habet*, *pro* præbuiſſet, *quomodo alibi locutus eſt.*

15. Reſpondet ad quos? ad me inquit. ſi tibi idoneus] *Sequor veteris libri ſcripturam, in quo eſt*, Reſpõdet abiiſſe iudices. an nõ inquit tibi idoneus &c.

16. In his mira pulchritudine ipſa Himera, in muliebrem figuram, habitumq. formata, ex oppidi nomine, & fluminis] *In Himeracorum numiſmatibus quæ ſunt apud me, hoc ipſum Himeræ ſignum cum inſcriptione* IMEPA *expreſſum eſt, & Thermarũ etiam monumẽtum, de quibus meminit Polybius lib. 1. quamuis corruptè in vulgatis* θερμῶν ἡμερεσίων *legatur. pro* ἱμεραίων *; & Thermos dulces malè interpretatus Perottus fuerit.*

17. Etiam

17. Etiam in concione Trib.pl. de cauſſa Sthenij M. Palikanum eſſe queſtum] *Hic eſt* M. Lollius Palikanus, *quo Trib.pleb. auctore, Tribunicia poteſtas à Sulla populo adempta, per Cn. Pompeium conſulem reſtituta eſt.* In *argenteo autem denario (in quo Roſtra populi Romani ad hanc rem indicandam, quòd in eis conciones ad populum à Tribunis haberentur, impreſſa ſunt)* Palikani *nomen per* k. *inſcriptum eſt.*

18. Fecit etiam nuper homo clariſſimus Cn. Domitius, qui M. Silanum conſularem virum accuſauit] Cn. *hic* Domitius cum M. Silano *&* Q. Curtio, *præfectus monetæ cudendæ in æreo numiſmate deſcriptus eſt.*

19. Syracuſana ciuitas (vt eam potiſſimùm nominem) dedit ipſi ſtatuam] *Ita eſt in vulgatis libris, & rectè, vt puto, pro* iſti *(quomodo quidam legunt) ob adiunctas perſonas patris, & filij: nam alioqui neceſſe erat illorum* iſti. *infrà,* Ipſius & patris & filij.

20. Nihil ergo inquit] *Vetus liber,* nihil egero inquit.

21. Sed etiam Sotera] Soter *habent aliquot veteres libri, quorum ego ſcripturam non ſequor. non enim σωτὴρ, ſed σωτῆρι in huius ſtatuæ baſi inſcriptum fuiſſe ex vſitata illa veterum inſcriptionum formula, intelligere poſſumus.*

22. A communi Siciliæ] Siciliȩ*ne, an* Sicilia *ſcribendum ſit, video à quibuſdã adhuc dubitari, qui* communi Sicilia *retinẽt, vt ſit communiter ab omnibus Siciliæ populis. Eſt autem* commune Siciliæ *familiaris dicendi modus Græcis, à quibus Latini traxerũt, vt pro κοινὸν ἀσίας,* commune Afræ, *in Auguſti denariis inſcripſerint: & pro κοινὸν Λυκίων,* commune Lyciorum *in vetere quodam lapide. κοινὸν κυπρίων, &* κοινὸν Βιθυ-

νίας

ruīa reperitur in areis Traiani & Hadriani numiſmatibus. Quod autem ſcriptum eſt in ſuperiore Verrina, commune miliadum, *& in hoc ipſo libro*, in commune Siciliæ conferrent, *facit vt hac lectio quaſi neceſſaria ſit, deq; ea dubitari nullo modo poſſit.*

23. Eripiunt tibi iſtam orationem contemnẽdorum Siculorum atq. aratorum ſtatuæ illæ equeſtres] *Pro verbo* cõtemnendorum, *quod eſt in omnibus vulgatis, legitur in manuſcripto,* negotiatorum.

IN LIBRVM III.

1. Qui non ſolum Reip. ciuem improbum remouet] *Magis placet*, à Rep. ciuem improbum, *& ſi omnes libri habent* Reip.

2. Aut gurges vitiorum] ac gurges *eſt in vetere libro, rectius: & paullo pòſt*, ſi plus abſtulerit, *pro eo quod eſt in vulgatis*, ſi plura ſuſtulerit.

3. Quod vltrò etiam illuſos ſe & irriſos ab iudicio diſceſſuros videbantur] *Pro* irriſos, *vt eſt à quibuſdam emendatum, placet vt reponatur* irritos; *quo modo prius legebatur: nam* illuſos *&* irriſos *idem ferè eſt. præterea* irritos *refertur ad fruſtrationem iudicij, non ad ludibrium: nam de perſonis dici, teſtimonio eſt Tibullus illo verſu,*

Venit & à templis irrita turba domum.

4. Quis hunc audet dicere aratoribus infeſtum aut inimicum fuiſſe?] *Nõ dubito quin pro* inimicum *ſit legendum*, iniquum, *quomodo legebat etiã Faërnus.*

5. Arator enim tuos iſtos recuperatores núquid volet?] *Magis placet, vt eſt in antiquo libro*, núquam volet *ſine interrogationis nota.*

6. Aſſorinus Macharenis] Imacharenſis *non* Macharenſis *ſcribendum eſt hîc, & infrà, ſi Ptolemæo, &*

Plinij alphabeto Siculienſi credendum eſt, qui in littera I,*pònit hanc ciuitatem, non in* M, *vt quidam emendarunt.*

7. Tot honeſtiſſimos] *Deeſt vox* homines *poſt* tot;*quæ eſt in manuſcripto. infrà etiam* præclara hominum honeſtiſſimorum *legēdum eſt, cùm in vulgatis deſit vox,* hominum.

8. Addicitur medimnū] *Cornelius Fronto Grammaticus in exemplis elocutionum, adducit in voce* Dimidio,*Ciceronis verba, ex libro, quem Tiro in lucem edidit, vt ſcribit Quinctilianus lib.* x. *inſcriptum* Commentaria cauſarum; *ex quibus totus hic de Herbitenſium decumis locus corrigi poteſt. ſunt autem hæc*: De decumis Herbitenſium per triennium cùm primo anno venditas dicat tritici modiûm XLIIII. Secundo tritici modiûm XXV. millibus DCCC. anno tertio ſupraiaciente Æſchrione venditas dicunt medimnûm VIII. mill. centum, id eſt modiûm XLVIII. millib. DC. dupla ſumma anni proximi. addicitur medimnûm VIII. millibus C. dimidio ferè pluris quàm ſuperiore anno. *Ex huius autem loci collatione, Ciceronis verba, quæ non bene à quibuſdam emendata ſunt, ita reſtitui poterunt.* Primo anno venierũt eius agri decumæ tritici modiûm XLIIII. *paullo pòſt*: anno ſecundo cùm emiſſet Apronius decumas tritici modiûm XXV. DCCC. *& poſt*, modiûm XXV. *infrà*, addicitur medimnûm VIII. C. dimidio ferè pluris quàm ſuperiore anno &c. iubet in tabulas pro medimnûm VIII. C. referri.

9. At hoc agebat in cubiculo iudices] *Melius* atqui, *pro* at, *vt eſt in manuſcripto.*

10. P. Næuio] Næuio *ſcribi debere ex veterum & lapidum & numiſmatum auctoritate ſuprà docuimus:*

mus: & infrà ſcribẽdum iiſdem auctoribus Brocchus: *quod eſt* Furiæ *gentis cognomen in antiquis etiam denariis*.

11. Quo tandem modo ferendum] *Rectius habet antiquus liber*, quo tandem modo vobis nõ modò ferendum &c.

12. Nihil de inſolentia] *In vetere libro additum eſt*, nihil de permiſſa ab iſto licentia, *poſt verbum* inſolentia.

13. C. Norbani decumæ venditæ] C. *hic* Norbanus, *qui Prætor Siciliam prouinciam obtinuit, in aureo nummo deſcriptus eſt cũ titulo* C. NORBANVS PR. S. C. *Ab eodẽ cuſus argenteus etiam denarius reperitur, in cuius altera parte, ad indicandam Sicilienſem hanc Præturam*, faſces, ſpica, & nauis prora *ſignata ſunt*.

14. Item populus Romanus] *Vetus liber*, ita populus Romanus.

15. Hæc omnia doceo ciuitatum & priuatis primariorum virorum teſtimoniis] *Videtur aliquid deeſſe ad ſententiæ ornatum, quod ex vetere libro addi poteſt, ſi legatur*: Hæc omnia doceo litteris publicis honeſtiſſimarum ciuitatum, & priuatis &c.

16. Iugulatum nõ ſentis] *Vetus liber*, iugulatum eſſe non ſentis.

17. Licet hercules (inquit) omnes omnia dicãt] *Vetus liber habet*, omnes omnia dicant in illo, *ſiue vt emendauit Ant. Auguſtinus*, in illum: *ſed puto inepti alicuius gloſſema fuiſſe, quod ab imperito librario fuerit in contextum receptum*.

18. Cùm omnes eius comites iſte ſibi ſuo illo panchreſto medicamento amicos redemiſſet] *Non dubito quin pro* Panchreſto, *legendum ſit* panchriſto,

cuius

euius ſcripturæ veſtigia in veteri quodam libro adhuc remanent in litura.pecuniam enim appellat per trãſlationem,medicamentum illud, quo Verres vtebatur tanquam antidoto quodam ad omnia parato: quoq; inunĉto,hoc eſt,qua numerata pecunia , omnes difficultates ſe euaſurum confidebat. Aptè autem panchriſtum *accommodauit ad* medicamentũ, *vt quoniam tranſlato verbo ſemel vſus eſſet,in tranſlatione permaneret, & ex ea magis iocaretur. Eadẽ tranſlatione ſuprà quoq. vſus eſt,tùm de eodem Verre dixit :* Verùm palæſtritas ita defendebat, vt ab illis ipſe vnĉtior diſcederet. φάρμακον ἔγχριστον, *hoc eſt medicamentum quod inunĉtum prodeſſet, dixit Theocritus in Cyclope:*

οὐδὲν ποτὸν ἔρωτα πεφύκε φάρμακον ἄλλο
Νικία, οὔτ᾽ ἔγχριστον, ἐμοὶ δοκεῖ, οὔτ᾽ ἐπίπαστον. *paullo pòſt pro* Aditum eſt ad Metellum , *legitur in vetere libro* , aditus eſt Metellus. *de Panchreſto videndus Plinius.*

19. Cùm eſſet magiſter ſcripturæ eius ſocietatis] *Ita legitur in manuſcripto,ſine coniunĉtionis nota, quæ eſt in vulgatis.*

20. Litteræ miſſæ L.Veĉtij,L.Seruilij] Vettij *ex argentei denarij auĉtoritate ſcribendum eſt : atque hic* Vettius *vel ſuprà Lucius,vel hic Publius prænominandus eſt. pro* C. Antiſtitis *ſuſpicor legendnm eſſe* C. Antiſtij. *hæc licet leuia ſint , miror tamẽ non fuiſſe ab aliis animaduerſa .*

21. Quod multis eſt teſtimoniis expoſitum] *Vetus liber,*quod multorum eſt teſtimoniis &c.

22. A quo HS XVIII.] *Placet magis* XII.

23. Vide,quære,circumſpice] *In vetere libro,* vndiq. circumſpice *ſcriptum eſt:vt* vide, quære *ex vnico verbo* vndiq. *ſcribendum eſſe videatur.*

24. At hoc parū eſt] *Vetus liber*, adhuc parū eſt.

25. Quid agis Hortenſi? conſul es deſignatus. prouinciam ſortitus es] *Placet Ant. Auguſtini coniectura, qui pro* ſortitus *legendum putat* ſortiturus.

IN LIBRVM IV.

1. Nihil apud ciuem Romanum: nihil denique iſtum quod oculos animumq́. accenderit] *Ita videtur hic locus legendus: nec aſſentior iis, qui* deniq. *tollunt, & ve pro* que *reponunt. Nam* deniq. *loco ſuo poſitum eſt: &* que, *quàm* ve *longè melius. nam quæ accendunt oculos, omnia, animum quoq. accēdunt: at non omnia, quæ animum, oculos quoq. accendunt.*

2. Tot homines cuiusq. modi] *Ita eſt in vulgatis & manuſcriptis libris, & melius, quam vt quidā emendarunt*, cui cuimodi*: non enim eadem eſt vis illius & huius verbi: illud amplectitur omne genus hominum: hoc quodvis genus ex omnibus generibus.*

3. Ad hereditatem ſacrorum non quærebat meretricis heredem] *Ant. Auguſtinus, pro* hereditatem *legendum putat* heredem.

4. Lycij illam Græci homines] Lucij *videtur ſcribendum ex auctoritate vetuſti lapidis, qui effoſſus eſt ad radices rupis Tarpeiæ.*

5. Quam non auſus eſt vſquam defigere] *Placet Ant. Auguſtino vt pro* eſt *legatur* eſſet: *quam ego lectionem probo, quòd magis ad Tullianum dicēdi genus accedere videatur, modò id apud illum perpetuum ſit,* quam non auſus eſſet niſi communicaſſet.

6. Item incolis veſtris] *Vetus liber*, itemq. incolis veſtris. *& infrà*, ſi H-S D, *pro* H-S. VI. mill. D.

7. Boëti manu factam] *Scribe* Boëthi, *de quo meminit Plinius lib.* XXXIII. *cap.* XII. *& lib.* XXXIV. *cap.* VIII.

&

& Pauſanias rerum Eliacarum lib. 1.

8. Eſt tanti cedo tabulas] *Vetus liber*, excant cedo tabulas.

9. Dum ego hoc crimen] crimina *habet vetus liber. & infrà*, Eupolemo Gelaſtino *pro* Calatino.

10. Dionyſiarchum ad ſe proagorum, hoc eſt, ſummum magiſtratum, ad ſe vocari iubet] *Quidam putant verba illa* ſummum magiſtratum, *interpretis alicuius tranſlationẽ eſſe, quos nõ ſequor. In ænea apud me tabella, in qua Agrigẽtinorum decretũ quoddam inciſum eſt*, PROAGORVS *hic ita deſcribitur*: Ἐπὶ ἱεροθύτα Νυμφοδώρου τοῦ φίλωνος, παραπροστάτας βουλᾶς, προεδρευούσας τᾶς φυλᾶς τῶν ὑλλέων, προαγοροῦντος διοκλέους τοῦ διοκλέους, γραμματεύοντος Ἀδρανίωνος τοῦ Ἀλεξάνδρου.

11. Et ferri ſine thecis vaſa] *Placet* efferri è gynæceis vaſa.

12. Palam artifices omnes] *Vetus liber habet*, aurifices, *pro* artifices.

13. Caſu ſignum iſte animaduertit in cretula: placuit ei: exquiſiuit, vnde eſſet epiſtola] *Vetus liber*, caſu ſignum iſte animaduertit in çerula: placuit ei: quæſiuit vnde eſſet epiſtola.

14. Pelori Archonides] *Scribendum* Elori, *quod opidum eſt in eo litore, quod eſt inter Syracuſas & Pachynum. Idem mendum irrepſit in Liuij librum* XXIV. *vt annotauit Ant. Auguſtinus.*

15. Sed tantum vos certiores facio] ſed tamen vos certiores facio *eſt in antiquo, & ita videtur legendum.*

16. Sed regnum Ægypti quod ad ſe & ad Selenem matrem ſuam pertinere arbitrabantur, hi ipſi poſtquã tẽporibus Reip. excluſi] *Ita legitur hic locus in manuſcripto, & rectius, vt videtur, quã in vulgatis.*

17. De his decumis] *Vetus liber*, de ſuis decumis.

18. Et in exteris nationibus] *Placet vt eſt in antiquo*, quod in exteras nationes.

19. Vt Capitolium quomodo magnificentius eſt reſtitutum] quemadmodum, *pro* quomodo *melius habet manuſcriptus liber.*

20. Pergæ Dianam] *In æreo apud me numiſmate* ΠΕΡΓΑΙΩΝ, *impreſſa eſt in vna parte Dianæ imago, in altera Victoriæ ſignum, cui adſcriptum eſt*, ἈΡΤΕΜΙΔΟΣ ΠΕΡΓΑΙΑΣ.

21. Gellenſibus] Gelenſibus *vnico* l, *ſcribendum eſt auctoribus antiquis horum populorum numiſmatibus, in quibus eſt*, ΓΕΛΑΣ.

22. In ſuis antiquis ſedibus] *In vetere libro coniunctionis nota additur, quæ in vulgatis deeſt*, & in ſuis &c. *Paullo poſt pro* prius *ſcriptum eſt* antiquius.

23. Nunc ex vrbe ſociorum Prætor eiuſdem populi] *Scribendum ex antiquo*, nunc ex vrbe ſociorum populi Romani, eiuſdem Prætor populi.

24. Qui laudem honoremque familiæ veſtræ] *Vetus liber habet*, qui laudem honoremq. tuum, familiæq. tuæ.

25. Quid aut his reſpondere honeſtè potes, aut illi facere] *Deeſt* tu, *quod habet manuſcriptus, in quo legitur*, quid aut tu his reſpondere.

26. Ne iſta præclara nobilitas] *Videtur legẽdum vt eſt in antiquo*, dummodo iſta præclara nobilitas.

27. Monumentaq. ſuarum rerum nunc maximè inſtituat] *Ita vetus liber. in aliis deeſt* nunc.

28. Eos enim teſtes deduxi] *Vetus liber*, adduxi. *& infrà*, Nuper iſtum ipſum eſſe pollicitum, *cùm in aliis deſit* ipſum.

29. Chryſas eſt amnis qui per Aſſorinorũ agros fluit]

fluit] *Ex auctoritate veteris quod eſt apud me numiſmatis, ſcribendum eſt* Cryſas *ſine aſpiratione. In eius autem numiſmatis vna parte imberbis iuuenis caput redimitum, prolixa cæſarie, quale Apollinis, impreſſum eſt cum titulo* Aſſoru, *pro* Aſſori, *vt* Menandru, *pro* Menandri, *herois (vt opinor) eius à quo Aſſorina ciuitas, quòd ab eo condita fuerit, nomen accepit: in altera parte hoc ipſum quod deſcribit Cicero* Cryſæ *fluuij ſimulacrum inciſum eſt, dextra manu vrceolum retinẽs, ſiniſtra copiæ cornu, adſcripto nomine* Cryſas, *ſine aſpiratione.*

30. Quæ eſſet antea non obſcura] *In manuſcripto eſt*, quæ eſſet iam antea non obſcura.

31. Ex quibus eligam] *Vetus liber*, ex quibus vnam eligam &c.

32. Etenim propter eſt ſpelũca] *Deeſt* eam, *vt ſit*, Etenim propter eam eſt ſpelunca, *& ita habet manuſcriptus.*

33. Ex ampliſſimo collegio decemuirali] *Videtur legendum*, quindecemvirali.

34. Perfectiores nullas vnquam vllo tempore fuiſſe] vllo in templo *habet vetus liber, pro* vllo tempore, *quod placet. & paullo pòſt* in hoc nomine, *pro eo quod eſt in vulgatis*, in hoc non minimè.

35. Eumq. cùm audiſſet interfectum] *Vetus liber*, quem cùm audiſſet interfectum.

Iam illa quia leuiora] quæ leuiora *placet, vt eſt in antiquo.*

36. Quid vndiq. ablatum ſit oſtendunt] *Ita habent omnes manuſcripti & vulgàti libri. Ant. Auguſtinus legit*, Quid vndeq. ablatum ſit: *quæ lectio cùm magis propria, tũ elegantior videtur, vt* vnde que *ſint duo verba, non vnum. itaq. miror non ei veniſſe in men-*

tem, vt hoc eodem in loco legeret, Vt ante demonſtrabat quid vbiq. eſſet: *vt* vbiq. *ſint duo etiam verba. libet autem hic adſcribere Plinij verba ex libro* XXXIV. *cap.* VII. *quòd in eis ſigni cuiuſdam mẽtio ſit, quod à Cicerone numeratur inter ea quæ à Verre ablata fuiſſe dicit, nec tamẽ in hoc de ſignis libro reperitur.* Signis (*inquit*) quæ vocantur Corinthia pleriq. in tantum capiuntur, vt ſecum circumferant, ſicut Hortenſius orator Sphingem Verri reo ablatam, propter quam Cicero illo iudicio in altercatione neganti ei ſe ænigmata intelligere, reſpõdit debere, quoniam Sphingem domi haberet.

37. Si quando taceant omnes, tunc ſortito coguntur dicere] *Vetus liber*, ſin aliquando taceãt omnes, tunc ſortitione coguntur dicere.

IN LIBRVM V.

1. Atque à belli periculis tutam eſſe ſeruatam] *Magis placet ſi* totam, *pro* tutam *legatur*, *quomodo Faërnus coniectura ductus, legi debere exiſtimabat.*

2. Vetus eſt quod dicam, & propter ſeueritatem &c.] *Mihi videtur in manuſcripto rectius eſſe*, Verum eſt quod dicam, ſed propter ſeueritatem &c.

3. In Leonte Magarenſi] *Puto melius eſſe in antiquo*, Leonida Imacharenſi.

4. Neque ab aliquo aſtro notabat] *In vetere libro poſt hæc verba additum eſt*, Nec enim egrediebatur tecto, vt vel ventos ſentire, vel cernere ſidera poſſet. *ſed puto gloſſema alicuius eſſe.*

5. In qua puluinus erat pellucidus Melitenſi roſa fartus] *Herrici Memmij clariſſimi viri coniectura de* Melitenſis, *vt Lambinus refert*, *voce ad* puluinum *propter Melitenſe linum quod celebre tũc erat, referenda,*

da, non ad roſam, *aduerſatur Cornelij Frontonis autoritas, qui* Melitenſi roſa, *perſpicuè legit*: (*licet in vno manuſcripto ſit* Mileſia, *pro* Melitenſi) *vt credendum omnino ſit, Melitenſem quoq. roſam in deliciis tunc fuiſſe, vt Pæſtana fuit.*

6. Lucum illum litoris] *Faërnus pro* lucum *emendauit* locum; *quam poſtea lectionem in veteribus quoque libris inueniri Lambinus indicauit.*

7. Sumptu publico] *In manuſcripto additum eſt*, tuo nomine publicè ſciente tota Sicilia.

8. Mamertinis, qui erant] *In antiquo legitur*, ſed Mamertinis &c.

9. Homines maritimi Syracuſis] *In vetere libro ſcriptum eſt*, erant homines Mamertini Syracuſis: *quæ lectio placet.*

10. Cùm tanto plures adducti eſſent] cum altero tanto plures adducti eſſent, *vetus liber.*

11. In iudicio coactus] *Vetus liber*, in iudicium.

12. Quid ciuitates quę in amicitia fideq. populi Romani perpetuo manſerant] *His ſimilia ſunt, quæ in vetere ſenatuſcõſulto apud me Græcè ſcripto in ænea tabella inciſa ſunt*· ἐάν τε ἐπὶ πόλεως ἐλευθέρας τῶν διὰ τέλους ἐν τῇ φιλίᾳ τοῦ δήμου τῶν ῥωμαίων μεμενηκυιῶν.

13. Pelorum verſus, vt ipſe Cleomenes, ita ceteri nauigant: *& pòſt*, interea Cleomenes iam ad Pelori litus peruenerat: *item*, Appulſis ad Pelorum nauibus Cleomenem perſecuti ſunt. *& paullo pòſt*, vnam illam ſolam noctem prędones ad Pelorum commorati, accedere incipiunt ad Syracuſas] *ſuper horum locorum emendatione, ita olim ſcripſit ad me Ant. Auguſtinus*: Cùm in Sicilia eſſem, turpiter erratum eſſe in hoc Pelori nomine didici. nam cùm ad Pachynum eſſet Cleomenes, & Syracuſas prædones fugiẽs

veniret,non potuit eadem nocte terra Syracuſas peruenire.ſed ſcribẽdum eſt, Elorum,pro Peloro,quod eſt opidum in eo litore, quod eſt inter Syracuſas & Pachynum.

14. Cùm hæc fierent] *Vetus liber*,cùm hæc ita fierent.

15. Sed ſecum ipſe certat:id agit] *Videtur rectius vt eſt in antiquo*,ſed cùm ſecum ipſe certet, id &c.

16. Patimur enim iam multos annos, & Silemus] *Abeſt à veteribus aliquot libris vox* annos, *vnde coniiciebat Ant. Auguſtinus legẽdum eſſe* ,inultos, *pro* multos. *quæ mihi lectio argutior ſanè videtur, quàm ea, quæ in vulgatis libris inuenitur: vtri tamen accedam hæreo.*

17. Non ex litibus æſtimatis tuis pecuniam domum] *Ant. Auguſtinus legit* ex litibus æſtimatis tuis non pecuniam domum, *felici,vt mihi videtur, coniectura.*

18. Perpetuo ſociis atque amicis Syracuſanum] *Vetus liber* præfectum ſociis atque amicis Syracuſanum: *& infrà habet*,quod de his ſupplicium &c.

19. Hæc negotij gerendi ſpes] ſpecies,*pro* ſpes, *ſcriptum eſt in antiquo, & ita legendum videtur.*

20. Qui Panormi negotiaretur] *Addendum verbum* adeſſe *ex manuſcripto: vt ſit*, adeſſe qui Panormi &c.

21. Si quis tantulum de recta regione deflexerit] *Ant. Auguſtinus pro* regione *exiſtimat legendum eſſe* religione *vel* ratione. *Ego vulgatam lectionem retineo*,regione: *nam hoc verbo complectitur fidem,religionem,rationem ſupradictas.*

22. Hominis ſapientiſſimi] *In manuſcripto poſt hæc verba additum eſt*,& vigilantiſſimi.

23. Poſteaq.

23. Poſteaq. Pompeius humili atq. obſcuro loco natus] *Q. Pompeium Rufum intelligit, qui conſul fuit anno* DCXII. *cum Cn. Seruilio Cæpione, quem hominem nouum appellat in Fonteiana, his verbis*: Cn. & Q. Cæpionibus L. & Q. Metellis teſtibus in Q. Pompeium hominem nouum non crediderunt. *&* *pro L. Murena*: Nec mihi vnquã minus in Q. Pompeio nouo homine, & fortiſſimo viro virtutis eſſe viſum eſt, quàm in homine nobiliſſimo M. Æmilio &c. *Itaq; dubitandum nõ eſt, quin pro*, poſteaq. Pompeius *ſit legendum*, poſtea Q. Pompeius: *quam lectionem miror cur reiecerit Lambinus, præſertim cùm veterum quoq. codicum auctoritate confirmetur.*

24. Maximiſq. ſuis periculis ac doloribus] *Ita eſt in veteribus libris, & fortaſſe non malè: quamuis recẽtior lectio* laboribus *nitatur exemplo ſuperiore, & inferiore. Antiqua lectio defendi poteſt cum varietatis ornamento, tum quòd in periculis ineſt metus, & cum metu labor mali vitandi: in malo autem ipſo ineſt dolor, quem non ſemper vitare poſſunt ambitioſi.*

25. Hæc eadem eſt noſtræ rationis regio & via] *Ita legitur in vulgatis, & magis placet, quam vt eſt ab amico meo emendatum*, regia via: *Nam* regio *refertur ad ſtudium ambitus*: via *ad labores, diligentiã, & virtutem.* Regia *autem* via *ſignificat publicam; qui ſenſus hic nihil facit: hæc enim* via *non eſt publica, ſed cõmunis ſolùm nouis hominibus. neq; mihi certum eſt Ciceronem vti* Regia via.

26. Mihiq. poſthac bonos potius defendere liceat] *In margine libri emendati à viro doctiſſimo, pro verbo* defendere, *notatum eſt*, laudare, *ad ſententiam aptè: ſed nimis longè à vulgata ſcriptura.*

IN

IN ORATIONEM PRO
M. FONTEIO.

1. Prouinciæ Galliæ M.Fonteius præfuit] *Fonteiam gentem tribus tantũ prænominibus, Publio, Caio, & Manio vſam fuiſſe, ſatis conſtat ex antiquorum numiſmatum auctoritate, in quibus* M'.C.*&* P.Fonteij *deſcripti ſunt. Sæpe autem librarij in eo errarunt, vt omiſſa virgula, quæ* M'.*littera obducta, Manium ſignificabat, pro Manio prænomine, Marcũ ſcripſerint. quod cùm in Acilia gente perſæpe accidit, tum in Aquillia, quæ hoc prænomine frequentius vſæ ſunt. quibus rationibus facilè adducor, vt credam, hîc quoq. erratum eſſe in Fonteij prænomine, & pro Marco Manium, Fõteium hunc qui prætor Galliam obtinuit, prænominãdum eſſe.*

2. Qui erant hoſtes, ſubegit: qui proximi fuerãt] *Videtur legendum*, qui proximè fuerant: *& ita vidi notatum in libro manuſcripto.*

3. Itaq. præfuerunt, imperauerunt pro dignitate ſua quod viſum eſt, & probauerunt] *Pertinent hæc ad antiquam illam, qua vtebantur in publicis operibus, inſcriptionum formulam:* Coerauerunt eidemque probauerunt.

4. Atq. in his locis ſe Croduni & Vulchalone ab his portorium eſſe exactum] *Legendum opinor*, Atq. in his locis ab his portorium eſſe exactum &c. *verba autem illa*, ſe Croduni & Vulchalone. *gloſſema alicuius eſſe exiſtimo, qui voluerit declarare, quæ eſſent ea loca. itaq. voci* Croduni *inhæſit particula* ſe, *quæ erat* sc. *hoc eſt*, ſcilicet. *paullo ſuprà, quidã pro* Numium, *reponunt* Munium: *quod non placet.* Numium *eſt in antiquo libro Vaticano, & Numiæ gentis mentio eſt in vetuſtiſſimo lapide Reatino. Octauius Pantagathus totum*

tum hunc locum ita legebat: Crodimi M. Porcium & Numium ternos victoriatos Narbone. Serueium, (*ſiue* Serenũ, *de quo in Or. pro Cn. Plancio*) binos victoriatos Maſſiliæ. atq. in his locis Crodimi ſcilicet & Narbone &c. Eleſiodolis T. Annium ſenos denarios ab his qui ad hoſtem portarent exegiſſe. *Vidi qui Pantagathi lectionem probarent, deleto tamen verbo* Victoriatos, *quod eſt ſecundo loco poſitum, & gloſſula illa, quam ſuprà dixi ab imperito librario in ſeriem receptam,* Crodimi ſcilicet & Narbone.

5. Impoſitum fructibus noſtris vectigal] *Octau. Pantagathus* fratribus noſtris *ex hiſtoria.*

6. Sed ego ita exiſtimo quo maius crimen ſit id, quod oſtendetur eſſe falſum] *Ita legebat Pãtagathus, cuius emendationi ſuffragatur liber etiam Vaticanus.*

7. At hoc Galli negant: at ratio rerum & vis argumentorum coarguit] *Ita Faërnus corruptæ ſcripturæ Vaticani libri ſecutus veſtigia ingenioſè hunc locum emendauit, cùm antea legeretur,* Actio rerum & vis argumentorũ coargui poteſt. *quæ tamen lectio quamuis non ſit cum ea comparanda, quam repoſuit Faërnus, poteſt tamen aliquo modo defendi; nam falſæ negationi Gallorum opponit actionem ipſam rerum, & vim argumentorum, quæ negari non poſſunt. Non habebat enim contrarios hoſtes, quos produceret, ſed actionem ipſam negotiorum publicorum, quam fateri cogebantur, tametſi impudenter negabant: & vim argumentorum quoque afferebat, quam refutare nequibant. Victorius habet,* At Galli hoc non negant: actio rerum & ius argumentorum coargui poteſt. *Planè illud* ius *deterius eſt quàm* vis: *ceteroqui placet lectio cum illa interrogatione,* Quid enim negent? cùm actio rerum & vis argumentorum coargui non poſſit. *Pantagathus le-*

gebat

gebat actio eorum,*pro* actio rerum.

8. Nimirum illud in quo ea quæ dicuntur à teſtibus coniectura & cogitatione traduntur] *Pantagathus legebat* coniecturæ & cogitationi.

9. Atq. ille Iuppiter, cuius nomine maiores noſtri ſanctam teſtimoniorum fidem eſſe voluerunt] *Placet vt pro* ſanctam *legatur* vinctam,*vt eſt in optimo libro Vaticano: intelligit enim Iouem,qui à Græcis, quòd iuriiurando præſit,* ὅρκιος *appellatur.*

10. M.Pletorius]M.Plætorius *ſcribēdum eſt auctoribus antiquis numiſmatibus, in quibus hic ipſe, vt opinor,* M. PLÆTORIVS, *qui* M'. *Fonteiū accuſauit, deſcriptus eſt, adſcripto adoptionis cognomine,* CESTIANVS.

11. Qui nunc ſunt,exercitus] exercitatus *habēt veteres libri manuſcripti.*

12. De veſtro iudicio commoneri]*Niſi Vaticani codicis auctoritas obſtaret,in quo eſt* commoneri,*libenter vulgatam retinerem lectionem,*commoueri,*hoc eſt,indignari,& iraſci Deos, qui omnem in vos poteſtatem habent: non enim commonentur dij, ſed homines; qui errant.*

13. Tendit ad vos virgo Veſtalis manus] *Sequor Faërni lectionem.qui* tendit *legit pro* tendet,*vt habent Victorius,& Manutius,neſcio quid ſecuti: neq. enim illud puto dicēdum, perorante adhuc Cicerone non tendiſſe,ſed poſteaquam perorâuit.*

IN ORATIONEM PRO A. CÆCINNA.

1. Sic maximè & maturiſſimè iudicanda eſt] *Octauius Pantagathus eorum coniecturam non probabat,qui pro,*ſic maximè,ocyſſimè *vel* velociſſimè *legendum*

gendum putant. nam ocyſſimè *contrà ſignificat quàm* maturiſſimè: *cauſa enim periculi exiſtimationis omnes alias anteire debet, & per quam maturè (non ocyſſime vt quidam volunt) iudicari: quod autem tardiſſimè indicetur, peccatur contra maturitatẽ iudicandi; quemadmodum etiam peccaretur, ſi ocyſſimè iudicaretur.*

2. Et cùm ipſe ſextulam ſuam] *Pro* ipſe *legebat Pantagathus*, iſtam.

3. P. Vetilius] *Legendum opinor* Vettilius: *vt enim à Manio, Manilius, & à Lucio Lucilius, ita à* Vettio, Vettilius.

4. P. Ceſennius auctor fundi] auctionator *Pantagathus, pro* auctor.

5. Vt illa res aliquid aliqua ex parte] *Pãtagathus* in ipſa re aliquid cum aliqua ex parte.

6. Cùm te obſtitiſſe, & repudiaſſe dicis] *Pantagathus* repuliſſe *legebat pro* repudiaſſe: *& optimè, vt videtur. mihi tamen* repugnaſſe *magis placeret.*

7. Vim enim multitudinis reſtitui voluerũt] reſpici voluerunt, *Pantagathus.*

8. Tum illud quod dicitur irrident] *Scio aliter ab aliis hanc lacunam repletam eſſe. Ant. Auguſtinus pro* ſic venire, *vt eſt in aliquibus libris, corrigebat*, ſic inuenire *ex loco inferiori, in quo eſt*: Sed ego inuenio in interdicto verbum vnum. *Sed ille locus proprius eſt huius cauſæ, hic communis omnium. Quare Oct. Pantagathus ita legendum putabat*: Tum illud, quod dicitur, ſummo iure irrident. *nam paullo antè dixit*, Et vt dici ſolet ſummo iure contenditur: *vt idem ſit hic*, quod dicitur, *& ſuprà*, vt dici ſolet. *Etiam in hoc inferiori*, Sed ego inuenio in interdicto verbum vnum vbi deliteſcam, *omnia dicuntur* εἰρωνικῶς: *hic ſeriò agitur.*

9. Fateor

9. Fateor hoc interdicto Prætoris vindicari] violari *legebat Pantagathus pro* vindicari.

10. Niſi cruor appareat] *Octauius Pantagathus locum mala interpunctione ſubobſcurum reſtitui poſſe exiſtimabat, ſi ita interpungeretur*: Tum ſtatueritis vim in cæde ſolum, non etiam in animo: niſi cruor appareat, vim nō eſſe factam: iniuriarum delictum eſſe, qui prohibitus ſit: niſi ex eo loco vbi veſtigium impreſſerit, deiici neminē poſſe: iuris retinere ſententiam & æquitatem plurimum valere oportere; verbo ne ac littera ius omne torqueri, vos ſtatuite recuperatores, vtrum vtilius eſſe videatur.

11. Cùm exemplis vterer multis: etiam illa me tuerer æquitate] *Pantagathus legebat*, cùm exemplis vterer multis ex omni memoria antiquitatis.

12. Vnde deiectus Carbo] vnde deiecti Samnites, *Pantagathus.*

13. Ad duas diſſimiles res duo deuincta interdicta ſunt] adiuncta, *pro* deuincta, *placet vt legatur.*

14. Et à populo Romano hereditates capere potuiſſe] *Ant. Auguſtinus teſtatur ſe in vetere codice ſcriptum inueniſſe* A C. R. hereditates capere potuiſſe, *quod maximè probat, & interpretatur* A *ciuibus Romanis. Vulgata quoq. lectio defendi poteſt, & ex ea hic ſenſus elici à populo Romano, hoc eſt, à quouis ciue populi Romani. Paullo ſuprà in veteribus libris erat*, Quibus lege aut ratione ciuitas aut libertas erepta ſit: *pro* ratione *repoſitum eſt à Victorio & Manutio* Romana: *ſed magis placet Ant. Auguſtini coniectura, qui pro* ratione, *emendat* rogatione, *quamuis idem ferè ſit.*

IN ORATIONEM PRO LEGE MANILIA.

1. Quantum vos honoribus mandandum eſſe voluiſtis] *In manuſcripto eſt* mandandi, *vnde cõiicio legendum eſſe*, mandandis.

2. Huic qui ſuccurrit non ſatis eſſe paratum] *Ita habet Manutius, & rectè; ad bellum referendo, non ad Lucullum. nam eorum coniectura qui* ſucceſſerit *legũt, commoda quidem eſt: ſed illa commodior. Nam ſi Lucullo ſuccedendum eſſet in pacata prouincia, ineptè adderetur*, Non ſatis eſſe paratum. *Octa. Pantagathus totum hunc locum ita legendum putabat*, Huic qui ſuccurrerit non ſatis eſſe paratum: ad tantũ bellum adminiſtrandum vnum ab omnibus ſociis & ciuibus Imperatorem depoſci, atque expeti: *vt*, ad id bellum *inculcatum ſit ab inepto librario.*

5. Tamen pecora relinquuntur] *Seruius citat hũc locum in lib.* III. *Georg. &* pecua *legit pro* pecora: *quæ vox in antiquis monumentis reperitur.*

3. Vſque in Hiſpaniam legatos Ecbatanis miſit] *Amicus meus antiquæ ſcripturæ ſecutus veſtigia, pro* Ecbatanis *reponebat*, ex Albanis: *quæ lectio confirmatur etiam hiſtoria. Videndus Plutarchus in Pompeio.*

4. Ariobarzanes rex ſocius populi R. atque amicus] *In argenteo Ariobarzanis numiſmate inſcriptum eſt*, ΒΑΣΙΛΕ΄ΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΆΝΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΆΙΟΥ Ε᾽ΥΣΕΒΟΥΣ: *quæ quidẽ inſcriptio Ciceronis locum mirificè illuſtrat.*

6. Propè adſint] *Veteres libri* abſint: *quæ lectio ferri poteſt; frequensq́; eſt Tullio* Propius abeſſe: *ac neſcio an malim* abſint, *quàm* adſint, *quod rarius eſt.*

7. Huius virtute & conſilio] *Pro* cõſilio *ſcriptum*

 eſt

eſt ſubſidio *in veteribus quibuſdam libris, quæ lectio videtur melior. Nam Sulla vt fatebatur de ſubſidio, ita non conceſſiſſet de conſilio.*

8. Propter cupiditatem prouinciæ magiſtratibus diuiſerit] magiſtris *Faërnus pro* magiſtratibus, *quam lectionem retinuit Ant. etiam Auguſtinus.*

9. Et quiſquam dubitabit quin huic tantũ bellum hoc tranſmittẽdum ſit] *Ita eſt in vulgatis libris, neq. malè: à Lucullo tranſmittendum ad Pompeium. Amici mei lectio, qui* committendum *reponebat, haberet locum, ſi ageretur de fide Imperatoris, non de felicitate potiſſimùm. nõ negarim tamen etiam de felicitate* committi *poſſe dici: at illud magis proprium, quòd Lucullus ob aduerſam fortunam reuocatus eſſet.*

10. Ad omnia veſtræ memoriæ bella] noſtræ, *pro* veſtræ *magis placet, vt eſt in antiquo.*

11. C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Cœlius Latinienſis] *Vetuſti codices habent* Laterienſis, *vnde coniici poteſt legẽdũ eſſe* Laterẽſis, *quod eſt Iuuenciæ quoque familiæ cognomen. Apud Euſebium mentio eſt C. Falcidij Trib. Plebis, qui legem Falcidiam tulit Hirtio & Panſa conſulibus, qui huius filius poteſt eſſe.*

12. Videbat enim populus Romanus non locupletari quot annis pecunia publica præter paucos] *Ant. Auguſtinus ex veteris libri auctoritate delet* nõ, *& ex coniectura* præter. *ſed non admodum ſatisfaciebat Pantagatho, qui putabat legi debere* non locupletari quot annis pecunia publica Prætores paucos: *Idemq́, putabat ab eo loco,* atq. in hoc bello, *vſque ad,* veniſſe gaudeant *(quæ omnia non ſine cauſa in Victoriano codice incluſa ſunt duobus ſemicirculis) eſſe additamentum (& ineptum quidem) ex aliqua declamatione omnino præter ordinem orationis, & diſtributionem.*

IN

IN ORATIONEM PRO A. CLVENTIO.

1. Habito] *Non video cur* Habitus *cognomen in* Auitus *mutandum ſit, antiquis præſertim libris repugnantibus, & vetuſtiſſimo lapide, in quo inciſum eſt,* AVR. ABITVS. MIL. COH. X. PR. *vt aſpiratio tantum ſit ex eo cognomine tollenda, nihilq́; præterea aliud mutandum.* Cluentius *autem pro* Cluuentius, *vt eſt in antiqua inſcriptione, ſcribebant antiqui, vt* fluius *pro* fluuius, Cluius *pro* Cluuius; & vas *pro* vuas, *vnde* vaſa *ab imperitis librariis ſcriptum inuenitur pro* vas, *cùm apud Ciceronem in Oeconomico, tum apud Suetonium in Rhemnio Palæmone, vbi legendum eſt:* Vitem eius manu inſtitutam CCCLX. vas edidiſſe, *ex Plinio lib.* XIV. *cap.* IV. *& Columell. lib.* III. *cap.* III.

2. Et parum virium falſitas habet] *Pro* falſitas, *quidam Faërni coniecturam ſecuti, emẽdarunt* veritas; *quæ lectio non admodum ſatisfacit: nec enim video, cur Faërnus veterum ſcripturam librorum improbare debuerit, niſi fortè in cœtibus latronum & piratarum, & aleatorum, & lupanarium, & inſtitorum volebat Tullium dicere hic* Veritatem parum firmamenti habere *(præteritis hominum honeſtis cœtibus,) aut non videbat falſitatem cuiuſcunq; rei, in quouis alio hominum cœtu comparari cum falſitate inuidiæ in iudiciis: aut contendebat* falſitas, *non eſſe Latinum: quaſi locus hic tam perſpicuus ſatis auctoritatis non habeat, adiuncta præſertim fide tam multorum codicum, & neceſſitate huius loci ſententiæ, & abſurditate contrariæ. Neq. eſt, quòd nitantur illis verbis qui Faërni lectionem tueri volũt,* Dominetur in concionibus, valeat in opinionibus, ac ſermonibus imperitorũ: *nã neq. perpetuum*

hoc eſt in illis, neq. diu, atq. ad extremum valet falſitas, cùm contrauenerint grauiſſimi veritatis patroni: ſed ſi quis aditus eſt aperiendus falſitati, in his temerariis ac leuibus cœtibus aperiatur.

3. Ne ipſi, quæ contraria ſunt, taciti cogitationi veſtræ ſubiiciatis] *Videtur adumbraſſe Andocidis illa ex oratione* περὶ μυστηρίων. τὰ δ᾽ ὑμῶν *(inquit)* δέομαι μετὰ εὐνοίας μου τὴν ἀκρόασιν τῆς ἀπολογίας ποιήσασθαι καὶ μήτ᾽ ἐμοὶ ἀντιδίκους καταστῆναι, μήτε ὑπονοεῖν τὰ λεγόμενα, μήτε ῥήματα θηρεύειν.

4. Lectum illum genialem] *Suſpicor legẽdum eſſe* genitalem, *pro* genialem, *quomodo Horatij quoq. verſum corrigendum opinor in ep. 1. lib. ad Mæc.* Lectus genitalis in aula eſt. *pro* genialis. *Dici autem* Lectum genitalem *puto, procreandis gignendisq́; hominibus dicatum. Huiuſmodi quidam lectus ſiue ara potius illa ſit in denario Criſpinæ, quæ Imper. Commodi vxor fuit, impreſſus eſt cũ inſcriptione* DIS GENITALIBVS, *quibus ſacer eſſet lectus ipſe, quaſi gignendarum rerum omnium auctoribus. Itaq. videndum num etiam Feſtus ſit ex denarij auctoritate emendãdus, qui* GENIALES DEOS *dictos ſcribit, aquam, terram, ignem, aërem, quæ ſunt ſemina rerum, ab aliis Græcorum* στοιχεῖα, *ab aliis* γένεθλα, *ſiue* σπέρματα *vocata. Duodecim quoque ſigna Lunam & Solem, inter hos deos computata, dictosq́;* Geniales, *à gerendo, quia plurimum poſſe putabantur:* Lectumq́. genialem, *qui nuptiis ſterneretur in honorem* Genij, *vnde appellatur: ipſumq́;* Genium *dictum, quòd vim obtineret rerum omnium gerendarum. atque ab Auſuſtio deorum filium appellari, & parentem hominum, ex quo homines gignuntur. diſſentit autem Feſtus, vt apparet, à denario in* GENITALIVM *nominis origine, qui ab Homero* ἀειγενέται, *vt quidam volũt,*

appel-

appellantur;& ab Auſonio in periocha libri IV. *Iliadis, his verſibus deſcribuntur,*

Iupiter interea cum diis Genitalibus vnà
Concilium cogit ſuperûm de rebus Achiuis.

5. Pappia natus] *Scribendum* Papia. *notum eſt autem* Papiam *gentis nomen eſſe Lanuuio municipio oriunda.*

6. Fuit Aiulius quidam Larinas] Auillia *gens reperitur, ſi rectè memini, in veteribus monumentis:* Aiulia *nuſquam, quòd ſciam, niſi apud Ciceronem in hac ipſa pro Cluentio. Itaq. libenter pro* Aiulius, *legerem* Auillius.

7. Si igitur ipſum Oppianicum bis ſuis iudiciis condemnatum abſoluiſſent] *Pantagathus pro* bis ſuis iudiciis, *legebat* his præiudiciis. *& paullo pòſt, prò* negare inquam in eo loco, *eſt in antiquo*, negate inquam meo loco.

8. Hic ipſe planus] *Pantagathus*, hic ille planus.

9. Sed ſpectabant] expectabant *Pantagathus prò* ſed ſpectabant.

10. Iam id quoq.] *Pantagathus*, nam id quoque.

11. Aut ſi in legem aliquando non iurauerat] *Pro* aliquando *legebat Pantagathus* iudicando.

12. Quod in eodem genere] *Placet*, quòm in eodem genere, *& ita habet manuſcriptus.*

13. In hac mihi concedat, vt tantũ mihi ſumam, quantum ſine huius periculo] *Pro* hac, *legebat Pantagathus* hoc, *& pro* huius, eius.

14. M. Plætorium C. Flaminium æd. cur.] *In argẽteis denariis Plætoriæ familiæ deſcriptus eſt* M. *hic* PLÆTORIVS *adſcripto titulo* ÆD. CVR.

15. Sin autem ſortiri ad pœnam, atq. hominum delectum fortunæ iudicio committere] *Ita hunc lo-*

cum emẽdauit amicus meus. Victorius autem, & Manutius habent delictum *pro* delectum, *nec malè, vt videtur: ſuprà enim dixit*, Vt ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione, in quoſdã animaduerteretur. *& iterum*, Ne autem nimium multi pœnam capitis ſubirent, iccirco illa ſortitio comparata eſt. *& iterum*, Aut ſtatuis, qui in eadem culpa ſit, non eadem pœna affici oportere. *Verba ipſa non admittunt* delectum. *nam dux militaris fortunæ iudicio, id eſt ſortitioni, committit militum delictũ, quod Cenſori imitandum non fuit in notatione cenſoria, neq. delectu, neq. ſortitione: neq. ad hoc facit quod ſuprà dixit*, Non conuenire cenſores hoc facere in delectu dignitatis. *nam hæc eſt vna particula muneris Cenſorij, pro dignitate hominum dare illis ordinem, locum, & gradum in ciuitate; quòd ridiculum eſſet ſortitione facere.*

16. Incognita cauſa probatum illud erat multitudini illicitum erat contradicere] *Placet Ant. Auguſtini coniectura, qui hunc locum ex interpunctione ita emendat*, Incognita cauſa probatũ illud erat multitudini: nemini licitum erat contradicere. *quamuis antiqua etiam lectio ferri poſſit*, multitudinẽ illicitum eſt contradicere, *vt ſit dicere contra multitudinem: pro* eſt, *Pantagathus legebat* eſſe.

17. L. Popillium] *Videtur ſcribendum* P. Popillium.

18. Qui cum L. Plancium defenderet accuſante M. Bruto] *Vel hic corrigendum*, Cn. Plancum, *vel in* II. *de Oratore* L. Plancium. *ita enim de Craſſo in eo libro ſcriptum eſt*: Quid in omni oratione Craſſus vel apud centum viros contra Scæuolam, vel contra accuſatorem Brutum, cùm pro Cn. Planco diceret.

19. Niſi

19. Niſi vti qui rem iudicaſſent] *Pantagathus ex manuſcripti libri lectione* niſi vtique rem, *emendabat* vt ſi iniquè rem, *vel* ij ſi iniquè rem &c.

20. Aduncam ex omni parte] *Pantagathus*, aduncam exteriori parte.

21. Pari dignitate Theano, Apulo atq. Luceria] *Ita Victorius*: *Manutius verò & Lambinus*, Theano Apuloque atq. Nuceria. *Ant. Auguſtinus*, Theano Appulo atq. Nuceria. *Ego puto vtrunq.* Teanum; Apulum *&* Sidicinum *ſcribi ſine* h. Apuliam *&* Apulum *modò ſimplici* p. *(vt apud Horatium ſemel reperiri)* altricis extra limen Apuliæ, *modò duplici* pp. *vt plerunq; Luceriam eſſe* Appulam *ſcio, non longè à Larino, & Teano: duas Nucerias memini, alteram in Vmbria, alteram in Campania. ita ergo legerem*, Pari dignitate Teano Appuloq. atq. Luceria: *Nam illud* que *iungit Teanum cum Marrucinis, & Ferentanis, ſiue vt alij, Frentanis.*

22. Qui negotia, qui res pecuniarias habēt] *Placet vt* pecuarias *ſcribatur pro* pecuniarias: *nam tota illa regio rem pecuariam exercet.*

23. Sin autem id] *Pantagathus optimè* ſi id quod, *emendauit.*

IN RVLLVM I.

1. Iubent venire agros Attalenſium & Olympenorum] *Non video quid Lambinum impulerit, vt* Attaleenſium, *ſiue* Attalienſium *ſcribendum hoc loco affirmarit. ab* Ἀττάλεια *enim ciuis* Ἀτταλεὺς *deducitur, quemadmodum ab* Ἀλεξάνδρεια, Ἀλεξανδρεύς: *& in areis numiſmatibus non eſt,* Ἀτταλεέων, *&,* Ἀλεξανδρεέων, *ſed* Ἀτταλέων, *&* Ἀλεξανδρέων.

IN RVLLVM II.

2. Nam centuriata lex cenſoribus ferebatur, cùm curiata ceteris patriciis] *Oct. Pantagathus retinebat hanc ſcripturam, reiecta Grucchij lectione, qui* conſulibus *pro* cenſoribus *legit. rectè autem, vt opinor: nam huic magiſtratui, qui diuturnior eſt, & totius dignitatis in ciuitate arbiter ac pecuniæ, bis comitia centuriata habebantur: ceteris patriciis magiſtratibus, Cōſulatui, Præturæ, Ædilitati priora centuriata, altera curiata. deſijt deinde Ædilitas, puto, dari centuriatis comitiis; poſtea enim tributis dari ſolere cœpit, ſi rectè memini. Atque ita legendus eſt hic locus, in quo non de prioribus comitiis agit, ſed de alteris in patriciis magiſtratibus creandis.* Nam centuriata Lex cenſoribus ferebatur, cùm curiata ceteris patriciis magiſtratibus, cùm iterum de eiſdem iudicabatur: *nūquam enim neq. Conſulatum neque Præturam, neq. Cenſuram prioribus comitiis curiatis mandari legimus. Sed vt aliquando totam Pantagathi de hoc loco opinionem exponam, prius Ciceronis verba, vt ipſe legebat, deſcribam: deinde, vt explicabat, ſubiungam:* Maiores de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt: nam cēturiata lex Cenſoribus ferebatur, cùm curiata ceteris patriciis magiſtratibus, cùm iterum de eiſdem iudicabatur: vt eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficij ſui pœniteret: nunc, quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa, curiata tantùm auſpiciorum cauſa remanſerunt. Hic autem Tribunus Pl. quia videbat poteſtatem neminem iniuſſu populi aut plebis poſſe habere, curiatis eam comitiis, quam vos non ſciuiſtis, cōfirmauit; tributa, quæ veſtra erant, ſuſtulit. ita, cùm maiores binis comitiis

voluerint

voluerint vos de ſingulis magiſtratibus iudicare, hic homo popularis, ne vnam quidem populo comitiorum poteſtatem reliquit. *Hæc igitur Ciceronis verba, ita à ſe emendata, Pãtagathus ſic exponebat, vt affirmaret apud Maiores binis comitiis omnes patricios creari magiſtratus, prioribus deſignari, alteris confirmari: priora eſſe centuriata in patriciis, tributa in plebeiis: altera in cenſoribus eſſe cẽturiata, in ceteris tã patriciis quàm plebeiis fuiſſe curiata. Apud minores mutatam eſſe rationem: nam prioribus comitiis cùm deſignari, tum confirmari omnem magiſtratum; poſterioribus curiatis, non confirmari, ſed ornari. atque ipſa comitia curiata non eandem habere vim, quam apud Maiores habuiſſent: tunc enim omnes* XXX. *Curiæ conueniebant, confirmandi, aut reprehendendi cauſa: nunc pro triginta Curiis,* XXX. *Lictores, hocq́; auſpiciorum, non confirmandi aut reprehendendi cauſa. Auſpicia verò Pantagathus interpretabatur ita: cùm auſpicato apud Maiores ſancitũ fuerit, altera comitia magiſtratuum debere haberi curiata, nefas fuiſſe ea tollere: manſerunt igitur ſecundo loco, vt prius, ſed ſpecie lictorum, pro Curiis; neque reprehendendi aut confirmãdi cauſa, ſed ornandi, mandandiue imperij. inquit igitur,* Quia prima illa centuriata tributáve tenetis, *id eſt, rata habetis, neque ea reprehenditis per altera curiata, hæc altera ne fruſtra haberẽtur, cùm prima vim omnem deſignandi & confirmandi haberent, auſpiciorum cauſa remanſerunt in vſu, non confirmandi, ſed mandandi imperij.* Rullus *itaque cùm videret ſuos Decẽuiros iniuſſu populi, aut ſine plebiſcito creatos, (nouem enim Tribus non habent vim totius populi iubentis aut plebis ſciſcentis) confirmauit eos alteris comitiis curiatis, vt confirmatione ſaltem poteſtatem haberent, qui mutilis illis*

comitiis tributis XVII. *Tribunum, illam habere non poterant: atque in hac Decemuirali poteſtate ſancienda prætermiſit priora comitia tributa, quæ in vſu ſunt; adhibuit poſteriora curiata, ad confirmandum quæ in hoc vſu non ſunt: quod enim prius ſcitum non eſt per* XXXV. *Tribus, confirmari nō poteſt per* XXX. *Lictores comitiis curiatis, quorū nullus nunc eſt vſus ad confirmandum: qui ſi eſſet, nō tamen poſſent confirmare, quod prius ſcitum non eſſet. Ita Pantagathus hunc locum legebat exponebatq́, atque ita legendum exponendumq́ eſſe, ſponſione cuiuſuis ſummæ contendebat.*

3. Curiatis ea comitiis, quæ vos non ſinitis confirmauit] *Quidam legunt* initis *pro* ſinitis, *quod quidem verum eſt, ſed nihil ad rem: nam hic agit de poteſtate Decemuirali, quam negat prius ſcitam tributis comitiis, atque ita confirmari potuiſſe minimè concedit. Lego igitur auctore Pantagatho,* Curiatis eā comitiis, quam vos non ſciuiſtis, confirmauit.

4. Tantummodo ſi quis ea poteſtate temerè eſt vſus exiſtimamus] *Pantagathus pro* exiſtimamus, *quod verbum non video quem hîc ſenſum habeat, emendauit* exæſtuamus, *optima ſententia.*

5. Scribis, librariis] *Libenter legerem ſine interpunctione* ſcribis librariis, *quomodo in antiquis monumentis notatum animaduerti.*

6. Præterea mulis tabernaculis centuriis] *Et hūc quoque locum feliciter emendauit Pantagathus, qui legebat,* Præterea mulis canteriis tabernaculis.

7. Ianitores ex Equeſtri loco ducentos] *Ita habēt vulgati omnes libri, & malè: an equites munus ſeruile, libertinúmue obirent? Ant. Auguſtinus rectiſſimè ex inferioribus locis* finitores *emendauit, quorum officium & honeſtum erat, & Decemuiris agris dandis adtribuendiſq́*

buendiſq; perneceſſarium.

8. Quæ maiores in vrbe paſſim periculi perfugia] *Pro* paſſim *erat* partim *in vulgatis, ex quo fecerat Pantagathus* parati.

9. Cur non item vt cum directo] *Pantagathus rectiſſimè*, cur non iterum cum directo.

10. Atque illud circumſpicite veſtris mentibus vnaq. legatos noſtros] *Amicus meus homo doctiſſimus putabat locum hunc, vt apparet, mutilum, reſtitui in integrum poſſe, ſi legeretur*, namq. *pro* vnaq. *vel*, nam quum: *ſed cùm videamus Tullium eſſe in curſu enumerandi ea, quæ populi Rom. publica facta ſunt L. Sulla Q. Pompeio Cos. poſteáue, vel iure belli vel hereditate, neque enumerationem peregiſſe (etenim in Africa, Hiſpania, Gallia aliquid inueniſſet quod enumeraret, & vt enumerarit omnia, non ita tranſiſſet nullo apparatu, nullis interpoſitis querelis ab enumeratione ad inſolentiam, cum Decemuirorum, tum legatorũ liberorum) fateamur neceſſe eſt hîc multa deeſſe: tranſit enim poſtea ad vectigalia populi Romani.*

11. Cum ſuis formoſis finitoribus auctionãtem] *Faërnus legebat* famoſis, *pro* formoſis, *cõiectura tantum ductus, nullo vetere libro (quod ſciam) auctore.*

12. Quantum intereſt vtrum in Maſſici radices an in Italiam, alióue deducamini] *Ant. Auguſtinus pro* Italiam *reponit* Liguriam, *ſiue vt habet etiã Lambinus* Apuliam: *quod non ineptum eſt, ob illud* alióue, *& ob diſſimiles agros: ſed neſcio quid ſalis habere videtur illud* Italiam, *ob infinita loca: vt ſi quis diceret, eamus ad Pacis, aut Romam: qui enim acquieſceret priori itineri; non etiam alteri vellet acquieſcere.*

13. Eſt planè rectius & quo in genere] *Locum ſine dubio mendoſum Pãtagathus vetere ſcriptura paul-*

puto esse gloss. erat scriptura [illegible] lulum

est plane, adiecit [illegible]. rectius est.

Iulum immutata, ita reſtituebat, An eſt locus, qui coloniā poſtulet, vel planè recuſet? quo in genere &c. *paullo pòſt*, at multitudo Quirites quæritur, *videtur legendum pro*, & multitudo Quirites quæritur.

14. Tunc illud exilium Campanæ coloniæ] *Acutè quidam* vexillum, *pro* exilium *repoſuerunt, ſed hiſtoria repugnat, quæ videtur eos latuiſſe, cùm ſit apud Liuium lib.* XXXVI.

15. Imminere ita fructuoſiſſimis inſulis populi Rom. videbatur] *Ita habet Manutius.* Italiæ *verò pro* ita *correxit Ant. Auguſtinus: cuius coniectura valdè quidem placet. ſed non planè implet, neque animū, neque aures. nam nō imminet Italiæ, ſed inſulis, quæ inter ipſam Africam & Italiam ſunt: ſed vt velit etiam Italiæ imminere. prius inſulæ, dein Italia fuit nominanda. Vellem illud* ita *eſſe aduerbium aliud: nam vt explicet* ſuccincta & armata, *ſatis frigidum eſt. Pantagathus legebat*, Imminere in fructuoſiſſimis inſulis pop. Ro. videbatur: *quæ lectio valdè placet.*

16. Molem contra veterem Rempublicam comparāt] *Pro* veterem *in libro manuſcripto eſt*, noſtram.

17. Nam poſt Q. Fuluium, Q. Fabium Cos.] *Pantagathus* Q. Fuluium Ap. Claudium Cos.

18. Et qui magiſtratum Capuæ, & Leocranti ceperunt] *Ita eſt in vulgatis. Ant. Auguſtinus longè melius*, Capuæ coloniæ creati. *ſed videndum ne abundet* coloniæ *: exæquet autem*, Capuæ ab eo creati.

19. Si à nobis conſulibus de conſilij ſententia probatis] probata *Pantagathus, & rectè. infrà, pro* vt grandi macie torridum, *opinor legendum*, vegrandi facie torridum.

IN

IN ORATIONEM PRO C. RABIRIO.

1. Niſi fortè de locis religioſis, ac de lucis, quos ab hoc violatos eſſe dixiſti] *Ita Manutius, neq. malè. At Victorius, & eum ſecutus Lambinus, habet* delubris: *quibus vt lentius aſſentiar, facit illud* quos: *& quòd, & ſi luci quidem ſint loca religioſa, non tamen ita planè, vt delubra.*

2. Carnifex verò & obductio capitis] obnuptio *Pantagathus, quomodo poſtea emendauit Muretus.*

3. Interfectum iure concedas neceſſe eſt: Fit S. C. vt C. Marius] *Pātagathus nihil hìc putabat deeſſe.*

4. Adhibent omnes Tribunos pl. præter Saturninum, pręter Glauciam] *Ita Manutius edidit, & Victorius, vt potuerunt ex fide corruptorum codicum: at Turnebus optimè, & Ant. Auguſtinus*, omnes Prætores præter Glauciam, *correxerunt. Atque hæc lectio Octauio quoque Pantagatho in mentem venit ex eo loco, qui eſt in* 1. *in Catilinam:* Num vnum diem poſtea L. Saturninum Tribunum pl. & C. Seruilium Prætorem pœna remorata eſt.

5. Pòſt cunctus ſenatus] *Pantagathus*, Poſt eòs cunctus ſenatus.

IN CATILINAM I.

1. Quodq. Seruilius Ahala Sp. Melium] *Scribēdum eſt*, quod C. Seruilius &c. Caij *enim prænomine affectus fuit Seruilius is, qui Sp. Melium regnum affectantem interfecit.*

2. In M. Leccæ domum] *Scribendum* M. Læcæ *ex auctoritate argentei denarij, in quo* M. *hic* PORCIVS LÆCA *deſcriptus eſt.*

3. Id quod primum atq. huius imperij] *Manuſcripti codicis lectio magis placet*, id quod eſſe primũ & quod huius imperij &c. *poteſt etiam legi*, id quod primum & quod huius &c.

4. Quod priuatarum rerum dedecus non hæret infamiæ] *Ita habet Manutianus liber, & Victorianus: quod & ſi ferri poteſt, Ant. tamen Auguſtini lectio magis placet*, in fama, *quam lectionem retinuit Lambinus.*

5. Sed fortunam Reip. obſtitiſſe] P. R. *eſt in veteribus libris, pro* Reip. *quam ego veram huius loci lectionem puto: ſic enim alibi Cicero locutus eſt. & in argẽteo denario* Q. SICINII, *Fortunæ, vt opinor, imagini titulus adſcriptus eſt* FORT. P. R. *hoc eſt (vt ego interpretor)* Fortuna populi Romani.

6. Quoties conſulem interficere voluiſti quot] *Ita habent vulgati codices: manuſcriptus autem qui apud me eſt, longè melius* interficere voluiſti vel conatus es. *plus enim eſt conari, quàm velle.*

7. Et omnes inimicos bonorum] homines bonorum inimicos *ſcriptum eſt in vetuſtiſſimo meo libro, melius quàm in vulgatis.*

IN CATILINAM II.

8. Iacet ille nunc proſtratus Quirites] *Ita eſt in vulgatis libris: manuſcriptus autem aliquanto melius habet* proſtratusque eſt. *plus enim eſt proſtratum eſſe, quàm iacere.*

9. Tongillum mihi eduxit quem amare in prætexta calumnia cœperat] *Quidam emendarũt*, quem amare prætextatum in Gallia cœperat. *ſed prior lectio ferri poteſt, hoc ſenſu: quòd* Tongilium (*non* Tongillum) *ſiue* Longinum (*qui à Salluſtio inter coniuratos*

tos nominatur) Catilina adhuc prætextatum ſimularit ſe amare, cùm illū non amaret, ſed alteri ſubiiceret. quæ ſequuntur ita legebat Pantagathus veteris ſcripturæ veſtigia ſecutus: Publicium, Minatium, quos viros? quàm valentes? quàm nobiles? quorum æs alienum contractum in popinam, nullū Reipublicæ motum afferre poterat, itaq. &c. *eduxit enim ignobiles, ſenes, egenos: reliquit nobiles, valentes, diuites.*

10. Alterum genus eſt eorum] *Locus ex oratione Æſchinis in Cteſiphontem,* τούτῳ πάρεσιν ἐκ τριῶν εἰδῶν συνήγοροι. οἱ μὲν ταῖς καθ' ἡμέραν δαπάναις ἀνηληκότες τὰς πατρῴας οὐσίας, οἱ δὲ ταῖς ἡλικίαις, καὶ τοῖς ἑαυτῶν σώμασιν οὐ καλῶς κεχρημένοι, καὶ δεδιότες οὐ περὶ τοῦ μάρχου, ἀλλὰ περὶ ἑαυτῶν, καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων μήποτε εἰς κρίσιν καταστῶσιν. ἕτεροι δὲ ἐκ τῶν ἀκολάστων, καὶ τῶν τοιούτοις κεχρημένων ἀφθόνως, &c.

IN CATILINAM III.

11. Vos qui & ignoratis & expectatis, ſcire poſſitis] *In quibuſdam codicibus ſcriptum eſt,* vos qui ignoratis, ex actis, *vel,* exactè ſcire poſſitis, *quod minus placet: nam multi ignorant, neque tamen expectant: & illud* exactè *contrarium eſt* τῷ breuiter: *nam quæ breuiter narrantur, ſummatim, non exactè narrantur.*

12. Vulturcius verò ſubitò proferri litteras, atq. aperiri iubet] *Sic eſt legendum, non vt quidam emendarunt,* Vulturcium verò ſubitò proferre litteras atque aperire iuſſi. *nam coniuratorum ſingulorum litteras ab Allobrogibus & Vulturcio, Prætoribus Flacco & Pomptinio traditas eſſe ſuprà dixit: neq. tradendarum tempus fuit protrahendum, idq; in primis mandatis Ciceronis conſulis debuit eſſe, ne eas ad celādum indicium Galli & Vulturcius perderēt, qui litteris traditis faciliores*

liores ad indicandum fuerunt. Iterum ſuprà dixit: Tabellas proferri iuſſimus, *non à Gallis & Vulturcio, ſed à Prætoribus.* Nos linum incidimus, legimus. *Non igitur iuſſit Vulturcium eas aperire aut legere: ſed Vulturcius contra negantem Lentulum ſibi litteras ad Catilinam dediſſe, iuſſit litteras aperiri, & legi. maluiſſet Pantagathus pro* iubet, *aut* petit, *aut* poſtulat: *ſed cùm memini* iubeo Chremetem ſaluere, *facilè patior* iubet. Volturcius *autem pro* Vulturcius *ſcriptum in vetuſtiſſimo libro reperitur, vt* Volteius & Volcanus, *pro* Vulteius & Vulcanus.

13. Cuius aui iuſſu conſularem interfectum] *Ant. Auguſtinus legit*, cuius auunculũ interfectum: *& paullo pòſt retinet* necatum *pro* necandum, *vt quidam habent. Nam M. Fuluius ſocius furoris C. Gracchi, & ipſe iuſſu conſulis L. Opimij interfectus eſt, & eius filius impubes adhuc legatus miſſus à patre ad Cõſulem. Hoc loco docemur P. huius Lentuli Suræ Prætoris II. & conſularis coniurati matrẽ fuiſſe Fuluiam.*

14. Non minore labore tueor, quàm comparo] *Hoc ex Demoſthene traxit, qui* χαλεπώτερον *dicit eſſe* τὸ φυλάττειν τοῦ κτήσασθαι τ' ἀγαθά.

IN ORATIONEM PRO L. MVRENA.

1. Vtriſq. ſuperſtitibus] *Quidam* viriſq. *emendarunt pro* vtriſque. *Ego Pantagathum ſecutus, receptam lectionem retineo: nam Prætor præcinẽte iuriſconſulto, vtroſq; alloquitur petitorem, & vnde petitur, inire & redire viam: quos frigidum eſſet vocare viros: ſed illud animaduertendum eſt, melius ne legatur*, vtriſq. præſentibus ſuperſtitibus. (*voco hîc ſuperſtites, non qui ſuper-*

ſuperuiuunt aliis, ſed litigatores vtroſq; ſtantes ſupra fundum controuerſum) muto autem ordinem, quòd qui ſuperſtites ſunt, neceſſariò ſunt & præſentes; non autem qui præſentes, iidem neceſſariò & ſuperſtites: quem ordinem puto obſeruatum ab illis ſcrupuloſis iuriſcõſultis. Alij delent vocem pręſentibus, *quam ſcholium alicuius putant eſſe, qui declarare voluerit verbum* ſuperſtitibus. *Cùm hæc ſcripſiſſem, Petrus Ciacconus Hiſpanus, magni vir ingenij, quid ipſe de hoc loco ſentiret, mihi indicauit: exiſtimat autem interpũctionis nota poſt verbum* vtriſq. *poſita, ita poſſe locum emendari*: Superſtitibus præſentibus, ſumite vindicias, ite viam. *quæ quidem emendatio videtur confirmari Feſti teſtimonio, qui ſcribit*: Superſtites præſentes, teſtes præſentes ſignificat: cuius rei teſtimonium eſt, quòd ſuperſtitibus præſentibus, ij inter quos controuerſia eſt, vindicias ſumere iubentur. *Plautus in Artemone*, Nunc mihi licet quidvis loqui, nemo hic adeſt ſuperſtes. *legendum verò eſſe apud Feſtum*: Superſtites pręſentes, teſtes præſentes ſignificat, *& locus quem ipſe citat teſtimonio eſt, & alter in voce Pube*: Pube præſente, *inquit*, eſt populo præſente.

2. Sed an ne tu dicis qui cauſa vindicaueris.] *In veteri manuſcripto libro* ain, *pro* an ne, *ſcriptum eſt: quæ lectio non videtur habere locum in hoc more dicendi. vtuntur enim eo, qui aliquid audierunt inexpectatũ. hic verò videtur* v.de petitur *rogare petitorem, vt dicat non ſi vindicauerit (videt enim vindicaſſe) ſed rogat cauſam cur vindicauerit, vt poſſit illam coarguere. Itaq; Pantagathus legebat*, Cauſſam ne tu dicis, qui cauſſa vindicaueris.

3. Qua de re agitur addere] *Pro* addere *legebat Pantagathus* videre; *videbatúrque ſibi ea coniectura*

O locum

locum reſtituiſſe.

4. Eos auletas eſſe] aulœdos, *eſt in manuſcripto, & fortaſſe non malè.*

5. Quem Euripum tot motus] *Videtur hoc ſumptum ex Æſchinis oratione contra Cteſiphontem*, καὶ πλείους τρεπόμενος τροπὰς τοῦ Εὐρίπου.

6. Vix cuiquam inimicus eſſe deberet] *Pro* inimicus, *emendauit Ant. Auguſtinus* inimicitiis, *vt ex ea lectione aliquem ſenſum eliceret. Pantagathus*, multis etiam alieniſſimo, vix cuiquam, *legebat. Sed Lambinus Memmiani codicis ſcripturam ſecutus, locum ſine dubio reſtituit.*

7. In quadrigarum curriculum] Quadrigarium *habet Pantagathus.*

8. Atq. id decernitur] atqui *Pantagathus.*

9. Tenue eſt niſi vt ſuffragentur] *Ita legebat Pantagathus, cùm in aliis ſit*, ſi vt ſuffragentur.

10. Hæc homines tenuiores primùm ne dũ poſtea à ſuis tribulibus] *Ita legebat hunc locum Pantagathus, & ita omnino legi debere opinor.*

11. Præfectum fabrûm ſemel] *Pro* ſemel, *habet Pantagathus*, fremunt.

12. Locum ſuum gladiatorium] gladiatorum *Pantagathus. ſed* gladiat. *hoc eſt*, *Gladiatorib. eſt in antiquo. paullo pòſt, Pãtagathus pro* munimina candidatorum, *vt erat in vulgatis, emẽdauit* munia gladiatorum: *quam lectionem vulgauit Manutius. & infrà*, In robore accumbunt, *idem legebat* labore, *pro* robore.

13. Eſſe kal. Ian. in Rep. duos Cos.] *Quinctilianus lib.* VI. *legit*, eſſe prid. kal. Ian. in Rep. duos Cos.

14. Sed in vrbe, in foro, dij immortales ſine gemitu hoc dici non poteſt, non nemo] *Quidam* ô dij

legunt,

legunt, quod non placet: nam hic non inuocantur dij, ſed cum gemitu appellantur. quare ita legerem: Sed in vrbe, in foro: dij immortales (ſine gemitu hoc dici non poteſt.)

15. Hunc iam qui impedituri ſint, videtis. illa peſtis immanis] *Ita hunc locum emendauit Pantagathus addito verbo* videtis, *quod deeſt in vulgatis.*

IN ORATIONEM PRO L. FLACCO.

1. At à teſtibus læditur] *Pantagathus*, at Aſiatica à teſtibus læditur: *nec malè: nam de vrbana iam eſt locutus. paullo ſuprà*, qui Catilinam ex vrbe repulit, *idem legebat* expulit.

2. Quibus iuſiurandũ, iocus eſt: teſtimonium, ludus: exiſtimatio veſtra, tenebræ] *Ita eſt in vulgatis: & malè vt videtur. Ant. Auguſtinus putat legendum*, Exiſtimatio veſtra tricæ, *vel* exiſtimatio verò tricæ, *vt* veſtra *ſit gloſſula. Mihi non videtur* tricæ *in hoc ſenſu accipi, ſed cùm de re leui & minima contenditur: at in exiſtimatione nulla eſt contentio. itaq; melius Pantagathus legebat*, Exiſtimatio verba: tenebræ laus. merces, gratia, gratulatio propoſita eſt omnis in impudenti mendacio.

3. Quem ſpero his rebus fore] *Ita legitur in vulgatis, & melius, vt opinor, quàm vt quidã emendarunt*, vobis breui: *nam iudicibus non eſt vſui, ſed amicis & Reip. vt dicit*: *igitur* his rebus, *vehementia, odio, ac moleſtia.*

4. Inquiſitioni comitum] *Pantagathus*, Inquiſitori comitum.

5. Sed porrigenda manu] *Expreſſit Græcam vo-*

cem χειροτονία,*vt infrà*, Porrexerunt manus, pſephiſma natum eſt.

6. Id ſutores & zonarij conclamarunt] *Pantagathus delebat cōiunctionis notam, addebatq́ poſt verbum* zonarij,ac zoriarij.

7. Egentes & leues ſpe legationis] *Vetus liber*, ſpe largitionis, *quod non ita placet. paullo pòſt*, nihil præter ſpeciem,*quod placet.*

8. Adramitenus] *Scribēdum* Adramyttenus. ἀπὸ γὰρ τῆς Ἀδραμυττείου πόλεως, *ſiue* Ἀδραμυττείᾳ, *vt ex Strabone inquit Stephanus in lib. de Vrbibus*, ἀδραμυττηνός, *vel* ἀδραμυττηνὸς. *Paullo pòſt*,defendēdi facilis cautio, *legebat Pantagathus deleto* eſt: *& infrà*, his nauibus Flaccus ex Aſia in Macedoniam,*pro* Flaccus *corrigebat* Craſſus,*vt opinor,ex hiſtoria.*

9. Ciuitas Æmonenſis] Acmonenſis ,*ſcribēdum eſt hîc & infrà* : ἀκμονέων *enim eſt in veteribus numiſmatibus*.

10. Sine tabulis,ſine auctore legerit] *Pantagathus* egerit,*rectè,vt videtur,pro* legerit.

11. Obſignata erat creta illa Aſiatica] *Hanc appellat* γῆν σημαντρίδα *Herodotus in Euterpe.*

12. At iſtud columen actionis tuæ Mithridates] *Pro* actionis, *eſt* accuſationis *in optimo libro Vaticano,quod miror Faërnum non animaduertiſſe.*

13. De pupillo Meculonio] de P. Mæculonio *fortaſſe legendum. Pantagathus*, M. Aculeone *corrigebat, neſcio an antiqui libri motus auctoritate. paullo pòſt,pro* percuſſit,*idem legebat* perculit.

14. Vbi nihil poſſent diſcere, niſi ignorantiam litterarum] *Abeſt totum hoc ab optimo libro Vaticano,& iure quidem: nam inepti alicuius gloſſema videtur eſſe.*

15. Re

15. Re iudicata ſtari oſtendit placere] rei iudicatæ, *Ant. Auguſtinus.*

16. Qui quoniam teſtimonium dixit] finxit, *pro* dixit, *olim Pantagathus emendarat : poſtea improbata Faërni coniectura, qui* non dixit *legendum affirmabat, quòd nimis ei frigidum & indignum Cicerone videretur, ita hunc locum correxit*: Eum tu teſtem ſpe recuperandi fundi paterni, quod iam teſtimonium dixit, venire ad teſtimonium dicēdum coēgiſti: qui quidnam ſit dicturus, expecto.

17. Totum enim cōuertet, atq. alia finget] *Pantagathus*, totum enim conuerteret, atq. alia fingeret.

18. Iudicatum fateris] *Pantagathus*, indicatum fateris: *& paullo pòſt, pro* expenſum, *in vetere codice ſcriptum eſt*, expreſſum.

19. Adrymeti] *legendum* Adramytti. *Strabo libro* XIII. *& Stephanus in lib. de Vrbibus*: Ἀδραμύττιον, *inquit, ſiue* Ἀδραμύττειον, πόλις τῆς κατὰ Κάϊκον Μυσίας.

20. Quòd elocata quòd ſeruata] *Pro* ſeruata *reſtituit Pantagathus* eneruata, *quo nihil aptius huic loco excogitari poſſe opinor.*

21. Niſi ducem Telephum inueniſſet] *Quamuis mei inſtituti nō ſit, locos obſcuros harum orationum explicare, hunc tamē locum lubet ex collatione Græci ſcriptoris aliquanto illuſtrare. Euſtathius in* IL. *lib.* I. οἱ μὲν τὸ περιπλαγχθέντας ἀντὶ τοῦ ἐκ δευτέρου πλανηθέντας φασὶ, χρώμενοι τῇ τῶν νεωτέρων ἱστορίᾳ τῇ λεγούσῃ, ὅτι τὰ πρῶτα ἐπιστρατεύσαντες τῇ Τροίᾳ οἱ Ἕλληνες, ἥμαρτον τῆς ὁδοῦ. καὶ τὴν μηδέν αὐτοῖς εἰς τιμωρίαν προσήκουσαν γῆν ἐλῄζοντο. ἡ δὲ ἦν, ἡ ὑπὸ τῷ Τηλέφῳ Μυσία. ὁ δὲ Τήλεφος ἀντικαταστὰς, ἐποίησέ τι κακόν καὶ ἔπαθε. πέπονθε μὲν τραῦμα δεινὸν ὑπ' Ἀχιλλέως, ἀμπέλου ἕλικι συμποδισθέντος αὐτῷ τοῦ ἵππου κατὰ Διονύσου πρόνοιαν, καὶ πεσόντος εἰς γῆν. ἐποίησε δὲ τὸ ἀπράκτους ὑπο-

χωρῆσαι τοὺς ἕλληνας· ὡς δὲ καὶ τὸ τραῦμα εἶχεν ἀθεράπευτον, χρᾶται. καὶ ὁ χρησμὸς ἀνεῖπε τὸ θρυλλούμενον, ὡς ἄρα ὁ τρώσας ἰάσεται. πλεύσας γοῦν τὴν ταχίστην ἐπ' Ἀχιλλέα, καὶ συμβαίνει τὸν μὲν, ἰάσασθαι τὴν ὠτειλήν. τὸν δὲ, δοῦναι μισθὸν τῆς ὑγιείας τὴν εἰς Τροίαν ὁδηγίαν.

22. Flaccum in curia decreuiſſent. veridicas adiungis cauſas inimicitiarũ] *Locum apertè corruptum Pantagathus ita corrigebat*: Flaccum in curia decreuiſſe iniuriam dicis:adiungis cauſas inimicitiarum. *Videtur autem Flaccus habuiſſe in conſilio Senatum Pergamenum, de cuius ſententia adiudicauit Amyntæ mancipia, quæ ad Decianum cum vxore transfugerant, atq; apud eum, vt liberi ſe gerebant, de quibus ſuprà dixerat*, membra, manus, digitos, neruos malè à Deciano habita. *& paullo infrà*: in liberos. *ac multo etiam infrà*: cenſus es mancipia Amyntæ. *Quòd autem* in curia *legendum ſit, oſtendunt verba illa inferius*, num aliter ac cenſuit Senatus. *quòd* iniuriã, *illa alia*: num aliud, atque oportuit. *Tum verò illud*, adiungis, *requirit aliud verbum, quod eſt* dicis, *quod idem deſiderabatur ad ſtructuram priorum verborum.*

23. In abſentem decreuit cùm ibidem] *Melius Pantagathus*: In abſentem quom ibidem

24. Quid ſi non decreuiſſet ſed edixiſſet] *Vetuſtiſſimus liber habet*, dixiſſet: *quæ lectio magis Pantagatho placebat, quàm Manutij* edixiſſet, *aut Ant. Auguſtini* addixiſſet. *de illa planum eſt, nam edicto nihil Prætor abiudicat. de hac quoq; ſatis conſtat, addicere verbum prætorium dici de debitoribus conuictis, qui non ſunt ſoluẽdo.* dicere *autem alterum verbum prætorium conuenire optimè huic rei, in qua non erat controuerſia de poſſeſſione mancipiorum, neque de ære alieno, ſed de iure mancipi inter Amyntam, & Decianum: vnde non*

oportuit

oportuit Prætorem vti verbis dare, *aut* addicere; *ſed verbo* dicere: *non enim* dixiſſet *hic vulgare verbum eſt, ſed ſollemne prætorium.*

25. Quas eaſdem mulieres à me datas] *Totum hunc locum ita corrigebat Pantagathus, appoſita interrogationis nota ad verbum* requiſiuit: Num es fratris mei litteras pleniſſimas humanitatis & æquitatis reprehenſurus, queis eaſdem mulieres am̃adatas apud Pataranos requiſiuit, *improbata priore coniectura, qua olim ductus emendarat*, quas eaſdem millies ad me datas apud &c.

26. Prædia etiam in cenſu dedicauiſti] *Pantagathus*, indicauiſti.

27. Mitto, quod nullo in iure, neque in re, neque poſſeſſione tua] *Totum hunc locum ita Pantagathus legebat*: Mitto quod nullo more, neque iure, neque poſſeſſione tua: *& paullo pòſt, pro* commiſiſti *emendabat* num cauiſti. *& pro* accidiſſet, incideret.

28. Eum maxima habiturum eſſe] *Poſt vocem* maxima *Pantagathus addebat* peculia: *alij ex veteribus libris* prædia.

29. Fortaſſe feciſti & tu & populi ſermone exciperes] *Ita eſt in vulgatis, & malè prorſus. Ant. Auguſtinus legit* Feciſti tu ne populi ſermone exciperes, *omnino melius, ſed nõ ſatis purgat, neq; ſatis patet ſenſus; aut qui patet, non eſt proprius huius loci. Quare libentius cum Pantagatho legerim*: Fortaſſe feciſti ne tu ex populi ſermone excideres: icc irco &c. *Victorius habet* feciſtis: *durè de populi ſermone ſecunda perſona. Paullo pòſt, pro* ad coronam applicuiſti, *emendauit Ant. Auguſtinus* ad coronidem applicuiſti: *quæ lectio in ſcriptis etiam libris reperitur. notum autẽ quid ſit* ad coronidem applicare.

30. Si petita, ſi redacta, ſi per hunc Antiochum] *Optimè Pantagathus*, Si petita, ſi redacta per hunc Antiochum &c. *ſublata interrogationis nota, & deleto*, ſi.

31. De ſumma Reip. taceo, quam vos] *Pantagathus tollebat interrogationis notam, quæ ad verbum* facere *appoſita eſt, & ad* ſuſtinetis *? reponebat.*

32. Nomen clariſſimum] hominem clariſſimum *Amicus meus legit coniectura ductus.*

IN ORATIONEM PRO P. SVLLA.

1. Tum ſingulari Antronij odio] Autronij *ſcribendum hîc & infrà, ex auctoritate veterum librorum & numiſmatum.*

2. Et quoniam L. Torquatus] *Sumpſit hũc locum ex oratione Demoſthenis pro Cteſiphonte, in qua ſcriptum eſt:* Εἰ μὲν οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρηκεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ αὐτοῦ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἂν ἀπελογούμην. ἐπεὶ δὴ οὐκ ἀπελογούμην. ἐπειδὴ δ᾽ οὐκ ἐλάττω λόγον τἆλλα διεξιὼν ἀνήλωκε, καὶ τὰ πλεῖστα κατεψεύσατό μου, ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω, καὶ δίκαιον ἅμα, βραχέα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περὶ τούτων πρῶτον εἰπεῖν.

3. Ille arma miſit cornua tubas falces ſigna legiones] *Ant. Auguſtinus deleta interpunctionis nota legit* ſigna legionis: *quod aut nihilo magis, aut minus etiam ſeruit: nã poſt enumerationem inſtrumentorum, milites deniq; ipſos ſubiungit: deinde omnes ſunt numero multitudinis ad aggerandum ſcelus.*

4. T. Coruncanio] *Scribendum* Ti. Coruncanio, *ex hiſtoria.*

5. At verò quid ego miror] *Pãtagathus legit* mirer?

6. Quæ

6. Quæ leuiter dixerat] *Videtur legendum* leniter, *pro* leuiter. *ita enim in* 1. *De officiis locutus eſt*, Imitatio preſsè loquentium, & leniter.

7. Quod cùm is Trib. plebis facit] *Opinor delendum aduerbium* cùm, & *pro eo*, *vel* tamen, *vel aliud ſimile, reponendum : quod Lambinus in ſcriptis codicibus ſe reperiſſe teſtatur. Pantagathus legebat*, Quod Curius Tr. pl. facit.

8. L. ille Torquatus cùm eſſet] *Totum hũc locum fœdè (vt apparet) deprauatũ, ita reſtituit Pãtagathus*: L. iſte Torquatus cùm eſſet meus contubernalis in conſulatu atque in prætura fuiſſet: cùm princeps, cùm ſignifer eſſet iuuentutis, auctor, adiutor, particeps extitit: parens &c.

9. Quis negat Sullæ indicium?] *Faërnus exiſtimabat gloſſema eſſe duo poſtrema verba : itaq; delebat* Sullæ indicium, *interrogationis nota ad verbum* Sullæ *adſcripta. Mihi Faërni coniectura placet, tametſi vulgata etiam lectio defendi aliquo modo poſſit : nã hîc* indicium *ſumitur pro nominatione Sullæ facta ab Allobrogibus in indicio coniuratorum. Sed non qualiſcunque nominatio indicis, eſt indicium coniurati, vt ipſe infrà latè oſtendit, quòd Allobroges de eo quæſierint à Caſſio, Caſſiũ reſpondiſſe ſe neſcire, non tamen inter coniuratos indicatum, aut nominatum, neque ab illis, neque ab hoc.*

10. Aut verè referendis, aut etiam ſcribendis] *Pantagathus legebat auctoribus manuſcriptis libris*, aut referendis fidem, aut rectè ſcribendis &c. *ſed in alio antiquo libro videtur rectius ſcriptum eſſe*: Qui his omnibus verè referendis aut memoriam putet, aut ingenium defuiſſe.

11. Aut de alicuius periculo meminiſſet quan-

tum vellet] *Pantagathus poſt verbum* vellet *addebat*, ſed quantum eſſet in re.

12. Nemo vnquã me tenuiſſima ſuſpicione perſtrinxit, quem non præuerterim] *Quidam legunt* peruerterim: *ſed non ſatis rectè. nam non eſſet neq; boni neque prudẽtis, eum qui ſe tenuiſſima ſuſpicione perſtrinxiſſet, peruertere, id eſt penitus euertere: præuertere autem bonus & cautus vir nõ modò poteſt, ſed etiam debet: de quo honeſtè gloriatur Cicero.*

13. Ac defendere quem velis] *Videtur legendum*, ac non defendere &c. *vel pro* ac, *ſcribendum* nec, *vt habet Lambinus. paullo pòſt*, Familiariſſimis ſuis non ſuccenſuit pater tuus, *vel delendum* non, *vel tollenda nota interrogationis poſt verbum* laudarent.

14. Ad M. Læcam] *Quidam pro* ad, *reponũt* apud. *ſed vulgata lectio ferri poteſt: nam* conuenire ad aliquem, *id eſt ad domum alicuius, Latinè dici poteſt.*

15. In qua re eſt vterq. laudandus primùm Cæcilius qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluiſſe reſcindere, vt ſtatueretur: Sulla rectè reſpondit: ſtatus enim] *Locum apertè corruptum ita Pantagathus reſtituebat:* In qua re eſt vtiq. laudãdus per eum Cæcilius; qui ſi promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluiſſe reſcindere, vt reſtitueretur Sulla, rectè reprehendis: ſtatus enim &c.

16. Vt ſtatueretur Sulla reprehẽdit] *Pro* ſtatueretur *habet ſcriptus liber*, tueretur: *à qua ſcriptura, quòd nimis recedit amici mei coniectura, eò mihi minus placet, qui putat legendum eſſe*, In fratre tum Sulla, qui de ſe reprehenderit. *paullo pòſt*, Vt quiſquam ſaluti ſuorum conſulat, *legit Ant. Auguſtinus pro*, de ſalute.

17. Quem in ſtuprorum defenſionibus] de-

terſionibus, *Pantagathus*.

18. Vi conatum & armis] *Lambinus delet vocem* conatum, *pro qua in manuſcripto eſt*, conatu.

19. Sed tamen ſi nihil vos P. Sullæ fortuna mouet iudices] *Pro* fortuna *Pantagathus corrigebat* acta vita, *nimis à vulgata recedens ſcriptura*.

20. Profectò conceditis iudices] *Videtur legendum*, concedetis.

IN ORATIONEM
PRO ARCHIA.

1. Nec nos quidem huic cuncti ſtudio] *Pantagathus pro* cuncti, *legebat* iuncti : *&* fuerimus, *pro* fuimus.

2. Ab Heraclienſibus] Heracleenſibus *ſcribendum ex auctoritate veterum numiſmatũ, in quibus eſt*, ΗΡΑΚΛΕΕ´ΩΝ. *Intelligendum autem de Heraclea, quæ in Sicilia erat. Itaq; ſuprà*, Siciliam *legendum, pro* Ciliciam, *cùm ex fide ſcriptorum codicum, tum ex hiſtoria*.

3. Gabinij] *Veteres libri habent* Gabij : *vnde* Gauij, *legendum quiſpiam exiſtimarit, de quo mentio eſt in oratione pro P. Sextio*.

4. Quantum alij tribuunt tempeſtiuis cõuiuiis] *Sententia, vt videtur, ſumpta ex Platonis Phædro, in quo ita ſcriptũ eſt*: ὅταν δ᾽ ἄλλοι παιδείαις ἄλλαις χρῶνται, συμποσίοις ἄρδοντες αὐτούς: ἑτέροις τε, ὅσα ὅσα τούτων ἀδελφὰ, τότ᾽ ἐκεῖνος ἀντὶ τούτων οἷς λέγων παίζων διάξει.

5. Quæ ſi cui leuior] lautior *Pantagathus*.

6. Quoties reuocatum eandem rem dicere] *Vetus liber* reuocatam, *pro* reuocatum.

7. Itaq. etiam delubrum eius in opido dedicauerunt]

uerunt] *Octauius Pantagathus homo diuini ingenij, correxerat olim Varronis verſiculum, qui eſt apud Agellium in lib.* XIII. *cap.* XI. *in quo malè legebatur* ariete, *pro* Ietæ: *ea verò correctio occaſionẽ dedit Ant. Auguſtino mutandi hoc loco aduerbium* itaque, *in nomen* Ietæq., *quæ lectio & probata à Pantagatho olim fuit, & à Paulo Manutio nuper vulgata in eo commentario quem in hanc ipſam pro Archia orationem edidit Romæ. ſed Manutius de Strabonis loco à me admonitus, qui huic emendationi repugnaret, in ſecunda eius commentarij editione, quam parabat, & antiquã lectionem reſtituit, & Strabonis verba ex libro* XVI. *quæ Græco etiam quodam numiſmate confirmantur, ad eam ſtabiliendam lectionem adduxit. quæ nos quia non ſunt ab hoc Ciceronis loco aliena, eò libentius proferemus.* ἐστὶ καὶ βιβλιοθήκη, καὶ τὸ ὁμήρειον καλούμενον, στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν ὁμήρου καὶ ξόανον. ἀντιποιοῦνται γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ. καὶ δὴ καὶ νόμισμά τι χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς ὁμήρειον λέγεται. ῥεῖ δὲ πλησίον τοῦ τείχους καὶ μέλης ποταμός. *Vetus autem numiſma, quo Strabonis verba mirificè illuſtrãtur, ab vna parte habet Homeri imaginem coronatam, ab altera Meletis fluuij ſimulacrum adſcriptis nominibus fluuij,* ΜΕΛΗΣ: *& ciuitatis quæ numiſma cuſit,* ΑΜΑΣΤΡΙΑΝΩΝ, *quam* SMYRNÆORVM *coloniam opinor fuiſſe: ſed præter Strabonis locum, quem adduximus, hoc etiam Ant. Auguſtini correctioni repugnat, quòd verbum* Ietæque *non planè congruit ſuperioribus membris, quæ inconiunctim poſita ſunt; neq; per* que *hoc vltimum membrum probè illis cõiungitur. Verſiculos autem Varronis, quos ſuprà diximus à Pantagatho fuiſſe emendatos, libet hìc adſcribere, vt & doctiſſimi viri memoriæ conſulamus, & ſtudioſorũ etiam vtilitati.*

Capella

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat,
Quod hac Ietæ mortuo faciunt ſacra.

in priore verſu hoc, *in* hæc: *in poſteriore* ariete *in* hac Ietæ *mutatum à Pantagatho fuit: cuius emendatio cōfirmatur cùm Græco epigrammate, tum Strabonis, Pauſaniæ, aliorumq; (quibus nominandis ſuperſedeo) ſcriptorum auctoritate.*

8. Quare quorū ingeniis hæc feruntur] *Pro* quare *legebat Pantagathus* quia, *nec malè. paullo pòſt*, At eius laudibus, *pro* at iis laudibus. *Primus autem Pantagathus Ciceronis locum hunc de Scipionis ſepulcro, in quo conditus dicitur Ennius fuiſſe, miſerabiliter depranatum correxit, à quo emendationem accepit Manutius, & vulgauit.*

9. Rudium hominem] *Ant. Auguſtinus Auſonij ſecutus auctoritatem legit* Rudinum, *quod valdè placet: nec enim dubiū, quin de Ennio dictū ſit hoc à Cicerone, quem conſtat à Meſſapo rege originem duxiſſe, fuiſſeq; centurionem, vt cecinit Silius,*

Vitis adornabat dextra decus: hiſpida tellus
Miſerunt Calabri, Rudiæ genuêre vetuſtæ.

& Auſonius,

Nunc Rudiæ ſolo memorabile nomen in æuo,
Vnde Rudinus ait: Diuûm domus altiſonum cęl.

Euſebius in Chronicis Ennij oſſa ex Ianiculo Rhodiam tranſlata fuiſſe apud quoſdam ſcriptores ſe legiſſe ſcribit. Hanc Strabo Ῥοδιαίων πόλιν *appellat: & ad eam alluſit fortaſſe Ouidius cùm cecinit,*

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

10. Quare ſi res eæ, quas geſſimus] *Aliter Pantagathus hunc locum legebat; nempe ita*: Quare ſi res hæ quas geſſimus, orbis terræ regionibus definiuntur, cupere debemus, quo minus manuū noſtrarum

tela

tela peruenerint, eò ſaltem gloriam famamq́ue penetrare.

11. An cùm ſtatuas & imagines] *Locus ſumptus ex Iſocrate, cuius verba ſunt in Euagora:* ἐγὼ δ᾽ ὦ Νικόκλεις ἡγοῦμαι μὲν εἶναι καλὰ μνημεῖα, καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας, πολὺ μέντοι πλείονος ἀξίας τὰς τῶν πράξεων, καὶ τῆς διανοίας, ἃς ἐν τοῖς λόγοις ἄν τις μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσι θεωρήσειε.

12. Quem amicorum ſtudiis videtis comprobari tum dignitate, tum etiam venuſtate] *Ita omnino legendum opinor, non vt alij, deleta voce* ſtudiis, *qua cauſa aliquibus fuit, vt pro* venuſtate *emendauerint* vetuſtate. *ſed pudor, dignitas, venuſtas, ingenium ſunt in Archia omnia: vetuſtas neque eſt, neque poteſt eſſe.*

IN ORATIONEM AD QVIRITES POST REDITVM.

1. Mea voluntate ſuſceptam] in ea volũtate *habet liber manuſcriptus & rectè, vt opinor. paullo poſt:* Id in me vno potius, quàm in optimo quoque & vniuerſa ciuitate deficeret, *pro eo quod in vulgatis eſt*, Id in me vnum potius, quàm in optimum quemque, & in vniuerſam Remp. flecterent.

2. Delmaticus] Diadematus *eſt in vetere manuſcripto libro: quem tamen nuſquam his temporibus habent Faſti, cùm habeant Macedonicum, Caluum, Caprarium, Delmaticum & Nepotem præter hunc Numidicum, atque etiam Balearicum, nam Creticus iunior eſt.*

3. Q. Metellus Cenſorius] C. Metellus *ſcribendum ex hiſtoria, & ex collatione alterius loci ſequentis orationis poſt Reditum in Senatu, in qua ſcriptum eſt*

L. &

L. & C. Metelli Conſulares.

4. Filiique parui deſiderium mei, lacrymæque pueriles] *Opinor locum mancum eſſe: nam non à deſiderio primum illius dolorem oſtẽderet, cùm de fratre dixerit,* Lacrymę, ſordes, ſqualor, fletus: *de vxore,* ſqualor, luctus: *de filia,* mœror: *qui omnes eum deſiderabãt. Ant. Auguſtinus legit,* Filiique parui vagi ſingultus deſiderio mei, *cùm liber vetus habeat corruptè,* Parui vulgi ſingulatus deſiderij mei. *Ego quia ſingultus, aut non ferè, aut non ſemper ſequuntur dolorem, lacrymas, deſideriúmue, & quia qui ſint vagi ſingultus, non intelligo, ita legerim,* Filiique parui vagiens eiulatus deſiderio mei, lacrymæque pueriles.

5. Copias eſſe reuocatas] renouatas *vetus liber.*

6. Armis decertare pro mea ſalute nolui, quod & vincere & vinci] *Ita eſt in vulgatis: at manuſcripti habent longè melius,* Nolui quod potui, quod & vincere, & vinci &c.

7. Parua nauicula traiectus] peruectus *ſcriptum eſt in veteribus libris, quod magis placet.*

IN ORATIONEM POST REDITVM IN SENATV.

1. Nunquam meam ſalutem non ab his conſulibus qui vendiderunt flagitauiſtis] *Ita habent vulgati libri: manuſcriptus autem rectius mihi videtur tranſtuliſſe illud* non: *habet enim*, Nunquam non meam ſalutem &c.

2. Quorum mentes anguſtæ, humiles, prauæ] *Vetus liber habet* paruæ, *pro* prauæ.

3. Non conſulis ſtudium, non diſcendi initia rei militaris non cognoſcendorum hominum] *Locum*

fœdè

fœdè deprauatum corrigi poſſe aliquando putaui, ſi ita legeretur, Non conſilium, non ſcientia rei militaris, non ſtudium cognoſcendorum hominum. *nam de eodem Piſone dixit in oratione, quam in eum ſcripſit:* Nunquam erat audita vox in foro, nunquam periculum factum conſilij, nullum non modò illuſtre, ſed ne notum quidem factum aut militiæ, aut domi. *& paullo pòſt,* Quid eſt aliud furere, niſi non cognoſcere homines, non cognoſcere leges? *Eodem ferè modo in epiſtola ad Thermum lib.* XIII. *de M. Anneio legato dixit:* Nam eius opera, conſilio, ſcientia rei militaris vel maximè intelligo me & rem publicam adiuuari poſſe.

4. Et perditum non dubitares] non putaſſes, *vetus liber.*

5. C. Meſſinius] *Scribendum eſt* C. Meſcinius, *qui pater fortaſſe fuit L. Meſcinij Rufi eius, qui Quæſtor in Cilicia Ciceronis Pro cos. & ſub Auguſto* III. *vir monetæ cudendæ fuit, vt ex denariorum inſcriptionibus intelligimus.*

6. Vt qua voce à te Romule poſt R. C.] *Lambinus emendauit,* Vt qua voce ſemel omnino poſt Romam conditam Conſul vſus eſſet. *Sed huic emendationi primum aduerſantur hiſtoriæ, ex quibus duæ conſulares huiuſmodi voces eliciũtur, cùm ex oratione Rabiriana perduellionis, tum ex Corneliana apud Aſconium; deinde veteris libri auctoritas, qui eſt apud me manuſcriptus, à quo Faërni coniectura pro* à te Romule *corrigentis,* ter omnino, *ita cõfirmatur, vt nihil dubij, quin ita legendum ſit, relinquatur. de tertia tantùm voce dubitabat Faërnus, an eſſet ea, qua vſus creditur Opimius Cos. cùm in C. Gracchum inuectus eſt, quæ tamen nullius ſcriptoris teſtimonio comprobatur. Quid ſi*

de

de C. Mario intelligendum ſit? de eo enim ita ſcriptum eſt in Oratione poſt reditũ ad Quirites: Nam C. Marij qui poſt illos veteres clariſſimos cõſulares, veſtra patrumq́. memoria tertius ante me conſularis ſubiit indigniſſimam fortunam &c.

7. Vt omne is flagitium ſe committere putaret] *Ant. Auguſtinus coniectura ductus, omnibus in numerum plurium commutatis, emendauit*, Vt omneis flagitium ſe committere putarẽt. *Quæ ſanè correctio veteris quoque manuſcripti codicis confirmatur auctoritate.*

8. Quid vt ad illam diem res cùm rediſſent rogarentur vt pari ſtudio conuenirent] *Pantagathus aliter hunc locum legebat, & multo quidẽ, vt videtur, melius*, Quid vt ad comitia pridie nonas Sextiles rogarentur vt pari ſtudio conuenirent.

9. Alter conſulem] *Ant. Auguſtinus legit* conſules: *& deinceps* deſererent, *&* proderent *numero multitudinis.*

IN ORATIONEM
PRO DOMO.

1. Remp. bene gerendo: religiones religionibus ſapienter interpretando] *Ant. Auguſtinus delet* religionibus: *quod verbum certè parum aptum eſt. non enim hic ſenſus eſt, qui ſolet vſurpari; Ariſtotelem Ariſtotele optimè declarari, & Platonem Platone. itaque Pantagathus hunc locum ita emendabat:* Religioſiſſimi religiones ſapienter interpretando eandem conſeruarent: *vt par pari referatur; ad Remp. bene gerentes*, ampliſſimi & clariſſimi: *ad religiones ſapienter interpretantes*, religioſiſſimi: *ſecundo loco* Remp. *ineptum eſt; itaq; libenter legerem*, eandem.

2. In Rep.ab aliis oppreſſa] *Particula* in *deeſt in libris manuſcriptis & rectè.paullo pòſt*, reſcindentur, *legebat Pantagathus pro* reſcinduntur.

3. A te iampridem ad bonorum cædem paratos] *In manuſcripto eſt*,ad rapinam , ad bonorum cædem paratos .

4. In animis noſtris] *Placet* veſtris , *vt eſt in antiquo .*

5. Quaſi poſſem aliquid in ea re gerenda : non habebatur] *Ita habent Victorius & Manutius,vitiatis codicibus. Ant. Auguſtinus longè melius* gerenda: nominabar flagitabar : *quæ correctio poteſt loco ſuperiore confirmari.Pantagathus autem mutabat* non *in* boni:habe *in* præ:batur *in* ceteris , *legebatq́; hoc modo*: Quaſi poſſem aliquid in ea re gerenda præ ceteris: *nec malè.nam præficiendum aliquem negotio graui & moleſto,& difficili,nominatim non ſortito,vt æquum eſt ; nemo diceret , niſi eum cui aliqua ars aut facultas illi negotio accommodata ſit*: *alioqui fit ei iniuria,ſi extra ſortem nominetur: quam artem aut facultatem negat ſibi eſſe Tullius,in Pompeio agnoſcit.*

6. Eum victoriæ populi Romani pœnitere] *Vetus liber habet*,Eum victoris populi Romani neceſſe eſt pœnitere.

7. Et quòd idem in poſterum de extraordinariis poteſtatibus libertatem ademiſſes] eidem *legendum eſſe ſuſpicor,ex loco ſimili orationis Sextianæ* : Non illi *(inquit)* ornandum M.Catonem , ſed relegandum: nec illi committendum illud negotium , ſed imponendum putauerunt: qui in concione palàm dixerint,linguã ſe euelliſſe M. Catoni, quæ ſemper contra extraordinarias poteſtates libera fuiſſet, ſentient vt ſpero breui tempore manere libertatem illam &c.

8. Vs

8. Vt neceſſe eſſet quot annis conſtitui per ſenatum decreta] *Non dubito quin pro* ſenatum, *legendum ſit* ſenatus. *In Vatinium*: Eripueras ſenatui prouinciæ decernẽdæ poteſtatem, Imperatoris deligendi iudicium &c. *Sed ſi* ſenatum *retinere malimus*, decretas *pro* decreta, *ſcribendum erit.*

9. Sex. Clodio ſocio tui ſanguinis] facinoris *legebat Pantagathus pro* ſanguinis, *ſiue ex ingenio, ſiue ex antiquo libro. In oratione de Aruſpicum reſponſis, de Clodio dixit*, conſules ſceleris ſui ſocios: *Piſonem ſcilicet & Gabinium.*

10. Ego verò, neque me tum deſertum, ſed pænè deditum] planè *pro* pænè *non dubito quin ſcribẽdum ſit, vel repugnantibus antiquis libris.*

11. Non fuiſſe Tribunũ pleb. hoc dico eſſe parricidium] *Ita ſcriptum eſt in vulgatis libris. Ant. Auguſtinus legit*, Hoc dico eſſe Pontificium. *ſed non id agit nunc Cicero, vt probet cauſam hanc eſſe pontificiã, quæ profectò erat, & agebatur apud Pontifices, ſed opponit illud* hoc (*quod demonſtrat Clodij priuilegium in Tullium ſine iudicio*) *ad illud* omnes actiones tuas, *quas poſſum generatim, & communiter coarguere non eſſe legitimas, quia ſpecie, non re Tribunus eas egiſti: ſed nunc non ago id, vt redarguam illas omnes: hoc ago, vt etiam ſi legibus, & re vera eſſes Tribunus pl.; tamen hoc tuum de me priuilegium contra leges, contra iura, mores, & religionem latum ſit; atque ideo parricidium neceſſe ſit fateare tu te ipſe. Vel igitur vulgatã lectionem* parricidium *retineamus, neceſſe eſt; vel pro ea, ſi magis placet*, parricidam *reponamus; quomodo alibi appellat Clodium.*

12. M. Puppio] *Legendum* M. Pupio *ex veterum lapidum auctoritate: itáque Piſo, qui à M. Pu-*

pio adoptatus fuit, in antiquis monumentis M. PVPIVS M. F. PISO FRVGI *deſcribitur.*

13. Vt hæc ſimulata adoptio filij] *Pantagathus legebat* adeptio, *pro* adoptio: *quæ lectio ſi minus vera ſit, ingenioſam eſſe nemo negabit.*

14. Cur enim quiſquam vellet] volet *idem Pantagathus.*

15. Quæ contra auſpicia eſſent acta] quia *pro* quę *habet Ant. Auguſtinus.*

16. Sin eadem obſeruanda, ſicut decreuit Senatus, M. Druſi legib. quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ eſſent, populum non teneri iam intelligis &c.] *Ita hunc locũ legebat Octauius Pãtagathus.*

17. Neque operum architectis] architectum *habet vetus liber, quod magis placet.*

18. Vt etiam Palatinam tuam perderent] Palatinam tribum tuam, *Pantagathus: ſed Ant. Auguſtinus* Palatinam illam tuam *legit.*

19. Quid nominis inſcriptio, tibi num aliud videtur eſſe, ac meorum bonorum direptio] *Ita Pantagathus interpungit, & pro* direptio *legit* ereptio.

20. Vt in Aſia Ciſtophorum flagitaret] *Ant. Auguſtinus interponit* millies *inter verba* Ciſtophorum *&* flagitaret, *quod facit ad elegantiam, non ad intelligẽtiam: quando enim vnquam populus Ro. aut ſenatus, cuiquam magiſtratui ſiue Vrbano ſiue Prouinciali negotium dedit flagitandi quicquam? quare ſi voluerimus ſanare hunc locum, alio prorſus remedio opus eſt: aliud enim nobis verbum erit recipiendum, & pro* flagitaret, *vel* factitaret, *vel aliud ſimile reponendum. Paullo pòſt,* Cùm Romæ deceſſiſſet, *rectiſſimè* Roma *legit Ant. Auguſtinus. ſed Pantagathus totum hunc locum ita legebat,* Vt in Aſia Ciſtophorum exæquaret. inde iret

in Hiſpaniam,cùm Roma deceſſiſſet &c.

21. Verba de ſalute mea fecerant] *Vetus liber* facerent.

22. Per amicos ſuos complerent] compilarent *habet vetus liber.*

23. Quid igitur ego geſſi] ceſſi *Pantagathus, à quo accepit Manutius.*

24. Vt me ab omnibus ad meam priſtinam dignitatem expectatum] *Pantagathus legit* expetitum, *pro* expectatum.

25. Miſerãdus videbatur] videretur *Pãtagathus.*

26. Senatum conſules vetabant] vocabant *habet manuſcriptus liber. pro Sextio*, Senatùm conſules credo vocaſſent.

27. Ex quo iudicare poteſtis] *Videtur melius eſſe in antiquo*, potuiſtis.

28. Nihil eſſe inſcriptum] iure ſcitum *Pantagathus. Infra dixit*, iure actum.

29. Non vidiſtis illam eſſe nullam] *Pro* illam *legebat Pantagathus* legem.

30. Nunc tu etiam pernicioſa peſtis] *Liber manuſcriptus habet* portentoſa, *pro* pernicioſa.

31. Ille verò dies qui fuit ? cùm te P. Lentule legem de me ferente populus Romanus ipſe ſe vidit ſenſitq. quantus & quanta dignitate eſſet] *Ita hunc locum correxit Faërnus, partim cõiectura ductus, partim veteres libros ſecutus.*

32. Hoc tribunicium eſt, hoc populare eſt] *Optimè, vt videtur, legebat Pantagathus*, hoc tribunicium, hoc populare eſt.

33. Tamen quotieſcunq. vellet quis hoc in genere ſolo rem iudicatam referri poſſe voluerunt] *Ita Faërnus hũc locum correxit veterum librorum au-*

ctoritatem ſecutus, in quibus eſt pro ſolo rē, ſororem. *Ant. Auguſtinus & Pantagathus, ex vulgata lectione delent* ſe. *ſed Faërni correctio magis placet.*

34. Quid te audacius, qui in eius nomen incideris] *Ant. Auguſtinus* qui in æs eius nomen incideris: *Pantagathus eandem retinet lectionem, ſed* eius *in* æs *commutato. Vterque autem acutiſſimè emendarũt, qui ſcirent prærogatiuæ auctorem in æs incidi ante legem ſolere.*

35. Cur non iuret ſe Gadibus fuiſſe] *Ant. Auguſtinus*, in gradibus *legit: quam lectionẽ retinerẽ, ſi Sedulius affirmaret ſe Romæ fuiſſe & primum ſciuiſſe: ſed cùm negaret ſe Romæ fuiſſe, eſſetq́ fortaſſe oriũdus Gadibus, acutè contulit Cicero Interamnã Gadibus. Præter hanc neceſſariam rationem, eſt mihi ſuſpectum* in Gradibus*: nam ſi hæc comitia Clodiana habita ſunt in Foro, puto potius, in Comitio, quàm in alia Fori parte: Gradus verò Aurelij, qui erant ad ædem Caſtoris, diſtabant à Comitio tota Fori longitudine.*

36. Nec res tum iudicata] *Pantagathus delebat* tum: *& paullo pòſt, pro* tamen ſi *legebat* tametſi.

37. Quod de omnibus etiam quibuſdam damnatis interdictum eſt] *Pantagathus pro* quibuſdam *emendabat* ciuibus iam, *& rectè, vt videtur.*

38. Cenſor ille Quinctius] *Ita ſcriptum eſt in omnibus vulgatis codicibus. Ant. Auguſtinus, pro* Cẽſor *legit* Kæſo, *& optimè quidem: quod præter Dionyſium & Liuium, ſequentia etiam prænomina oſtẽdunt.*

39. Abfui ſimul cum Rep. redij cum maxima dignitate te viuo] *Ita hunc locum olim emendauit Pantagathus, à quo accepit Manutius. poſtea* viuo, *mutauit in*, inuito.

40. Quid eſt quare quiſquam mihi ſe in ipſa populari

pulari ratione anteponatur] *Ita legebat Pātagathus.*

41. Non tam ineruditus, qui Mineruam Iouis ſororem meam eſſe ſororem exiſtimem] *Ita eſt in manuſcripto quodam libro(ſi rectè memini) Ant. Auguſtini;bis malè: primùm,quòd aſſerat Mineruam eſſe Iouis ſororem; iterum, quòd neget Ciceronē fateri Mineruam eſſe ſororem ſuam, cùm infrà dicat*, Ego mihi ſororem virginem aſciſco. *Victorius ita habet*, Non tam inſolens ſum,quòd Iouem me eſſe dico; quàm eruditus,quòd Mineruam ſororem Iouis eſſe exiſtimo: *& hic bis peccat: primùm,quòd velit Tullium gloriari ſe eſſe Iouem,quod nemo niſi furioſus diceret;iterū, quòd putet Tullium dicere ſe eruditum,aſſerentē Mineruam ſororem Iouis,cùm ſit filia. Manutius ita*,Non tam inſolens ſum qui Iouem eſſe me dicam, nō tam ineruditus,qui Mineruam Iouis ſororem meam eſſe ſororem exiſtimem: *hic in primo membro rectè habet,quòd Cicero neget ſe gloriatum eſſe,eſſe ſe Iouem: in altero membro bis peccat; primū,quòd velit Ciceronem putare Mineruam eſſe Iouis ſororem; iterum,quòd inducat illum negare Mineruam eſſe ſororem ſuam, cùm infrà dicat ſibi aſciſcere ſororem virginem, nempe Mineruam. Ant. Auguſtinus legit*,Non tam ineruditus, qui Mineruam Iouis eſſe ſororem exiſtimem: *in quo rectè ſentit; qui videat Ciceronem eruditè negare Mineruam,eſſe Iouis ſororem: ſed cùm tollit ab eo,quòd nō aſciſcat ſibi Mineruam ſororem, videat quàm rectè id faciat. Ego Pantagathum ſecutus,rectiſſimè legi exiſtimo*,Non tam inſolens ſum,qui Iouē eſſe me dicam: nec tam ineruditus, qui Mineruam ſororem meam, Iouis ſororem exiſtimem: *& ita poſtea ſcriptū animaduerti in manuſcripto apud me libro, qui fuit Nicolai Perotti.*

42. Remque publicam condere vnius diſceſſu] *Ita ſcriptum eſt in veteribus libris, & rectè, ſi verba Ciceronis attentè inſpiciantur; nam gloriatur ſe patriam diſcedendo ſeruaſſe, quam reſiſtendo deleuiſſet.*

43. Et ab eodem extructam, & poſitam in oculis ciuitatis] *Pantagathus emendabat*, Extructam ſepulturam in oculis ciuitatis.

44. Si modò eadem prima littera competitorem habuiſſet aliquem] *Ita habent manuſcripti & vulgati libri. Pantagathus autem legebat*, Si modò eadem præmaturitate competitorem &c.

45. A Q. Seio contendit per Q. Poſtumium, vt ſibi domum venderet] *Ita legit hunc locum Pantagathus, & rectè vt opinor: & paullo pòſt rectiſſimè*: affirmabat Poſtumius Seio viuo illam domum iſtius nunquam futuram, *pro* ſe viuo.

46. Litigatoribus defatigatis] *Optimè Pantagathus* licitatoribus: *atq; hac mihi lectio eò placet magis, quòd Ant. quoq; Auguſtino in mentem veniſſe video, qui quouis pignore ita legendum eſſe contendit.*

47. Domus mea illa] *Vide num rectius legat Pantagathus*, Domus vicina illa. *paullo pòſt*, Cauſa fuit ambulatio: conſuta, *idem legit pro* cauſſa.

48. Tamē illis tantis in tenebris] *Ita Pātagathus.*

49. Verbo ne Pontifices putatis] *Ita eſt in vulgatis, & malè. Ant. Auguſtinus optimè* Pontificis: *tum quòd ſuperiore verſu appellarat Pontifices, tū quòd ſtatim ſubiungit*, Si is poſtem tenuerit. Qui, is? *niſi legas*; Pontificis.

50. Imperia adſcribebantur nouæ iuuentuti] *Pantagathus emendabat*, Imperia adſcribebantur: inueniebantur. *quam lectionem liber qui eſt apud me manuſcriptus, aliqua in parte confirmat: nam* noua iuuentute

uentute *in eo ſcriptum eſt. Quid ſi pro* adſcribebãtur *legatur* proſcribebantur*? vt de Ptolemæo rege intelligatur & Brigotazo, de quibus dixit in Oratione de Aruſpicum reſponſis*: Reges qui erant vendidit, qui non erant appellauit.

51. Qui nihil dixit, aut fecit omnino: pœnamq. hanc] *Ita legit hunc locum Pantagathus. & paullo pòſt*, In loco auguſto conſecratam iam aram tollendam, *pro* eam aram.

52. Sine auctore, ſine ſcriptore] *Vetus liber habet* fictore, *pro* ſcriptore.

53. Omnes qui aut re, aut ſpe deniq. ſunt boni] *Ita ſcriptũ eſt in omnibus, quos viderim manuſcriptis, & vulgatis libris, ſed malè omnino*, ſpe *pro* ſpecie: *in quo verbo cùm alibi ab imperitis librariis peccatum eſt, tum in Lælio.* Quę eſt enim iſta ſecuritas *(inquit)* ſpecie quidẽ blanda, ſed re ipſa multis locis repudianda eſt. *paullo ſuprà, pro* præſtantiſſimi, *ſcribebat Pantagathus* præſtantiſſime.

54. Vt ſi in illo pænè fato Reip.] *Pantagathus delebat particulam*, vt.

IN ORATIONEM DE ARVSPICVM RESPONSIS.

1. Q. Scipio] P. Scipio *videtur legendum ex Oratione pro Domo.*

2. P. Valerio data domus eſt in villa publica] *Ita ſcriptum eſt in vulgatis codicibus; & malè. Ant. Auguſtinus*, in via ſacra, *propius quidem accedit, ſed non intrat domum: nam Poplicola habuit domum in ſumma Velia, quam diruit, & ædificauit in ima Velia. Quidam* via publica *legendum putant: quia verò nunquam, neque Velia, neq; vlla alia via, publica dicta*

eſt : nec in Villa Publica, quæ in campo Martio erat, Valerio datam fuiſſe domũ legimus, ſed in Vico Publico;Pantagathi coniecturam ſecutus, libẽter Vico Publico *legerim. Liuius lib.*II. *& Plutarchus in Poplicola:* ἐδέχοντο γὰρ (*inquit*) οἱ φίλοι τὸν Βαλέριον ἄχρις οὗ τόπον ἔδωκεν ὁ δῆμος αὐτῷ, καὶ κατεσκεύασεν οἰκίαν ἐκείνης μετριωτέραν, ὅπου νῦν ἱερόν ἐστιν οὐίκος πούπλικος λεγόμενον.

3. Atq. illa mater Dea] *Rectè Faërnus pro* Dea, *repoſuit* Idæa : *locumq́; ſine dubio corruptum, vna tantum addita littera integritati reſtituit. eius autẽ coniectura confirmatur cùm hiſtoria, tum iis, quæ paullo infrà ſcripta ſunt* : Sacra iſta maiores noſtri aſcita ex Phrygia Romæ collocauerũt : quæ vir is accepit,qui eſt optimus à populo Romano iudicatus P. Scipio. Femina autem,quæ matronarum caſtiſſima putabatur, Q. Claudia. *Val. Max. lib.*VII. *cap.*V. P. autem Scipio Naſica, togatæ potentiæ clariſſimum lumen, is qui conſul Iugurthæ bellum indixit, qui matrem Idæam Phrygiis ſedibus ad noſtras aras focosq. migrantem ſanctiſſimis manibus excepit &c. *Videndus Liuius lib.*XXIV. *Ouid. lib.*IV. *Faſt. Solinus cap.*VII.

4. Quæ priuato quondam tuo proauo] *Vetus liber*, quæ priuati quondam tui proaui.

5. Aut puer ille patrimus & matrimus ſi terram non tenuit aut thenſam, aut lorum omiſit] *Ita eſt in vulgatis; quod neſciò an bene. Ant. Auguſtinus legendum putat*, Si thenſam non tenuit, aut lorum remiſit; *cuius opinionis fuit etiam Pantagathus: at ego nunc ſubdubito, an inter ritus huius pueri eſſet hic quoque, vt nunquam alterum pedem ſublatum, niſi ad ingrediendum, haberet: quod vocet* terram tenere.

6. Vt eos ludos hæc lues impura pollueret] polluerit, *emendauit Faërnus, & rectè, vt opinor.*

7. Hæc ſacra maiores noſtros ex veſtris libris expetiſſe] *Colligere hinc poſſumus P. Clodium* XV. *virum fuiſſe ſacris faciundis. Ad huius autem loci intelligentiam faciunt ea, quæ ſcribit Strabo lib.* XII. πεσινοῦς δ᾽ ἐστὶν ἐμπορεῖον (*inquit*) τῶν ταύτῃ μέγιστον, ἱερὸν ἔχον τῆς μητρὸς τῶν θεῶν, σεβασμοῦ μεγάλου τυγχάνον &c. ἐπιφανὲς δ᾽ ἐποίησαν ῥωμαῖοι τὸ ἱερὸν, ἀφίδρυμαι ἐνθένδε τοῦ θεοῦ μεταπεμψάμενοι κατὰ τοὺς τῆς Σιβύλλης χρησμοὺς.

8. Alterum putabo regem ſi habuerit] *Locus non eſt integer: poteſt autem ſuppleri, ſi ita legatur*, Alterũ ſemper; alterum tum putabo regem, ſi habuerit &c. *vel ſi ita*, Alterum ſemper putabo regem, alterum ſi habuerit &c.

9. Sex. Serrano] *Scribendum* Serano *vnico* r. *licet in veteribus denariis* SARANVS *inciſum ſit pro* Seranus.

10. Vt tanquam fortis in pugna vir acceptis à forti aduerſario vulneribus aduerſis & honeſtis cadere videatur] *Ita habent vulgati: in manuſcripto* honeſtè cadere *legitur; quod magis placet: nam vulnera aduerſa, quis neſcit honeſta eſſe? & aduerbium ad verbum elegantius iungitur.*

11. Ea miſcet, ac turbat, vt modò vendat illis] *Ita Manutius & Victorius: corruptè planè vterq. libri manuſcripti*, vt modò ſe venditet illis; *quod codẽ tendit, ſed non implet ſententiam, quæ videtur debere eſſe, vt alios vituperet, aliis ſe venditet. Pantagathus legebat*, Vt modò ſe vendat his, modò illis.

12. E fluctibus illis ſeruitutis] illius ſeruitutis *habet manuſcriptus liber, & melius, vt videtur.*

13. Atque ego hanc orationem] *Vetus liber* actionem *habet, pro* orationem.

14. Cùm ipſe mũdus cùm agri terræmotu quodam

dam nouo contremiſcunt] *Antiqui libri ſcriptura magis placet, in quo eſt*, Cùm ipſe mundus, cùm aër, atque terræmotu quodam nouo contremiſcunt.

IN ORATIONEM
PRO CN. PLANCIO.

1. Huic accuſationi eſſe fauturos] *Vetus liber* fautores *habet, vt videtur, rectius.*

2. Vtinam vero ſemper eſſet] *Amicus meus homo doctus pro* vero, *legebat* verus, *exponebatq́; æquus: quã vocem* inani, *& vt infrà idem Cicero loquitur*, iniquo *opponi hoc loco debere dicebat. Paullo ſuprà*, Quid? tu nõ inanem dignitatis iudicem putas eſſe populum, *legẽdum ex antiquo*, Quid tu grauem dignitatis &c.

3. C. Serenum ſubtiliſſimum hominem] tenuiſſimum *magis placet, vt eſt in margine libri emendati à viro doctiſſimo.*

4. Ædiles quicunque erunt, idem mihi, quod oſtenderas] *Pantagathus pro* idem, *emendabat*, tu des: *& adiecta interpunctione poſt verbum* ædiles, *totum hunc locum ita legebat*, Ædiles quicunque erunt, tu des mihi quod oſtenderas. *In veteri tamen libro quem ipſe vidi, pro* idem mihi, *ſcriptum eſt* id da mihi, *quod non diſplicet.*

5. Nihil quod direptio] *Ita omnes vulgati, malè prorſus: aut ego nihil in hac re intelligo. Grucchius habet* diribitio: *quæ vox optimũ ſenſum facit illa quidem, ſed non ſuo loco: prius enim ſupplicatur populo, quàm diribeantur tabellæ: deinde verbum eſt inſolens Ciceroni, & longius abeſt à ſimilitudine verbi* direptio: *quid verò oportuit ſubiungere* ſupplicatio, *cùm modò dixiſſet*, Nihil iam eſt quod populo ſupplicetur? *quare*

vtrique incommodo medendo, ita cum Pantagatho legerim: Nihil quod diremptio, nihil quod ſupputatio:*adde quòd nõ ſupplicatur magiſtratibus:quinetiam ad ſupputationem addebat Pãtagathus* ſuffragiorum: *ad renuntiationem*,magiſtratuũ: *vt ita totus hic locus legeretur:*Nihil iam eſt,quod populo ſupplicetur:nihil quod dirẽptio; nihil quod ſupputatio ſuffragiorum; renuntiatio magiſtratuum expectetur: *ſed vt Grucchio ſua diribitio non negetur (quanquam varia videatur eius verbi ſignificatio,nec dignum munus ſummis viris)cetera nõ modò apta, ſed neceſſaria mihi quidem videntur eſſe.*

6. Hoc tamen miror] *Pantagathus*,hoc tantum miror: *& ita habet antiquus liber.*

7. Ex quo plurimæ familiæ] plures *Ant. Auguſtinus. & infrà*, Num de tot aliis gloriari? *pro* tot Fabiis gloriari?

8. Hoſpitum ſuorum honore] *Vetus liber*,hominum ſuorum honore.

9. Quòd C. Marium è ciuili errore] *Placet* cruore,*pro* errore,*vt eſt in antiquo.*

10. Quod ſi adeſſet] *Melius,vt opinor,Ant. Auguſtinus*,qui *pro* quod.

11. Sed ita magni amoris] *Videtur legendum* magnis, *pro* magni, *quomodo correxiſſe olim Pantagathum animaduerti.*

12. Atqui hæc ſunt indicia ſolida iudices, & expreſſa] *Magis placet,vt eſt in manuſcripto*:Atqui hęc ſunt indicia ſolida iudices,hęc expreſſa ſigna &c.*infrà legendum*,Sua & modeſtia ædilem factum,*cùm in vulgatis deſit* ſua &.

13. Maritum appellas vt verba fingas] *Ita Manutius*.vt verba etiã fingas,*Victorius. Faërnus* Mari-

maritum

maritum. *Ant. Auguſtinus* maritam, *adductus verbo* fingas. *At Pantagathus putabat Ciceronem reſpexiſſe ad Lateręſis maledictum, quòd alienis vxoribus vteretur, quaſi iuſtus vir: non enim obiicit illi pathicam libidinem.*

14. Idem poſtea præ mandatis] *Pantagathus correxit* præ mandato, *ſiue* mandatu. *ſequentia autẽ verba ita legebat,* Ac cùm hæc, nec vlla alia, ſint cõiecta in huius vitam, de huius vos pudore, religione, integritate dubitatis? *neque verò dubitandum eſt, quin ita legi debeat hic locus.*

15. An quòd auctiones eſſent] *Faërnus pro* eſſent, *reponebat* ceſſent, *ſed nõ ſatis Pãtagatho ſatisfaciebat; cui nõ videbatur poſſe hic habere locũ Faërni correctio; cùm quod ad rẽ attinet, tum quod ad dictionẽ. Nã neq; iuſtitio dierum profeſtorũ auctiones rerũ priuatarum ceſſant, neq; ad legiones certè referri poteſt verbum* ceſſent. *Videntur enim legiones conſcribi in illo edicto, earumq; cauſa edictum iuſtitium: neq; ad* rogaſſet *attuliſſet* ceſſent, *ſed* ceſſarent: *quæ nullo pacto ceſſabant, ſed calebant, vt & auctiones.* Quid triſtis eſſet, *quoq; id ipſum põſcit: nam Granius debuit eſſe triſtis, quòd legiones ceſſarent.*

16. De reiectione fieri voluerit iudicium alternorum] iudicum *Pantagathus, & rectè, vt opinor.*

17. Nam tertiam non quæ iudicaret] *Ant. Auguſtinus,* Nam Mæciam non quæ iudicaret: *quam lectionẽ retinuit Lambinus. In manuſcripto quodã libro,* Nam tres, non quæ iudicarent, ſed quæ reiicerentur eſſe voluiſti, *ſcriptum eſt, & fortaſſe non malè.*

18. Inſcio] in ſecreto *Pãtagathus. & pro* iniquos meos, *manuſcriptus codex habet,* inimicos meos.

19. Et ab hoc obſeruatas ederent] ederes *Pãtagathus.*

thus: & ita videtur legendum.

20. C.Alfium] *Victorius,* C.Alphium: *Ant. Auguſtinus ex loco inferiori,* C.Flauium. *ſed cur illum locum non corrigit ex hoc, ſi habet auctoritatem, quæ confirmet?*

21. Comitiis fuerint prærogata] *Vetus liber habet* prærogatiua, *non malè, pro* prærogata.

22. Tecum expoſtulaui] ſecũ expoſtulabo *Pantagathus: & infrà verſum Attij ita emẽdabat:* Quæritote id quod multi inuideant, *pro*, nónne id quod multi &c. *ſed Attij verſus in oratione pro Sextio integer, vt opinor, adductus eſt.*

23. P.Duellio] *Videtur legendum* C. Duilio.

24. Propterea magis laude fuerint digni] *Totus hic locus in manuſcripto ita legitur*: Propterea magiſtratibus fuerint digni, quòd triumpharunt, & non quia commiſſi ſunt iis magiſtratus, in iis re bene geſta triumpharint. *paullo pòſt,* Metello hoc imperatore, *in manuſcripto non eſt*, Metello.

25. Is retinet alienum] æs *pro* is, *ſcriptum eſt in vetuſtiſſimo libro, & ita legit Agellius lib.*1.*cap.*IV.

26. At enim nimis ego magnum beneficium Plancio] Sancio *legebat Pantagathus pro* Plancio: *ſed non diſplicet Lambini lectio, qui corrigit* Plãcij facio.

27. Ei me dedam] *Vetus liber habet,* ei me debere dicam.

28. Cùm iam Plancio deberem, L.Racilij beneficio fuiſſe contentum] *Ita hunc locum correxit Pantagathus, à quo correctionem accepit Manutius,* beneficio *tantùm voce in* beneficiis *mutata. Idem paullo pòſt pro* Gratias agendas putauit, *legebat* putarat: *& ita omninò videtur ſcribendum.*

29. Natura quidem abhorret à virtute verbi] *Corri-*

Corrigendum ex fide veteris libri, Nam id quidē abhorret à virtute verbum.

30. Te iccirco in locos communes cauſam coniicere noluiſſe] *Ita Pantagathus ex libro manuſcripto, vt opinor. ſed ego vocem* communes *ſuſpicor gloſſema eſſe in contextum orationis à librario receptum. Vnus manuſcriptus, & is quidem perantiquus pro* locos *habet* ludos. *paullo pòſt*, Me iccirco mea lege; *poſt vocem* lege *addebat* modò *idem Pantagathus. & infrà legebat*, Sed fui Nicææ, inquit, putabam in Vacceis dictuтum.

31. At tota Italia] ac tota Italia, *Pantagathus, & rectè.*

32. Et in aliis ciuitatibus monimenta nobis litteræ prodiderunt] *Pro* litteræ, *legebat Pantagathus* litterarum, *& ita omnino ſcribendum eſſe arbitror.*

33. Siciliam petiui animo] Siciliam petiui à Vibone *olim Pantagathus, qui vocem* animo, *nullo pacto ferendam exiſtimabat. Poſtea mutata ſententia, ita emendauit:* Siciliam petij eo animo, quod & ipſa &c. *paullo pòſt legebat*, Tum conſilio repentè mutato terra Vibone Brundiſium petere contendi.

34. Sed ſi acciderent ea] *Deeſt* qui, *vt ſit*, ſed qui ſi acciderent &c.

IN ORATIONEM PRO P. SEXTIO.

1. C. Albini] *Opinor hunc eſſe* C. Poſtumium Albinum, *qui in argenteis denariis notatus eſt.*

2. Et inde M. Aulianum] *Libri ſcripti habent* M. Menulanum: *Pantagathus* M. Aulanium: *qui poſt nomen* Antonij *addit* caſtra, *pro eo quod in manuſcriptis*

ptis eſt Capua,*& ita interpungit:* Et inde M. Aulanium Tribunum militũ Antonij caſtra præcipitem eiecit. *in vetere autẽ libro, melius puto legi hunc locum ita interpunctum* (Quam vrbem.P.P.B.O. ab.I.I. & S.M.tẽtari cõſpiciebamus)&inde C.Menulanũ &c.

3. Qui propter ſalutẽ illius vrbis conſulatu conſeruatã meo me inaurata ſtatua donarat: me vnum patronum &c.] *Ita hic locus legitur emẽdatus in margine libri à doctiſſimo viro; cùm in vulgatis deſit totum illud;* Me inaurata ſtatua donarat.

4. Vt iam virilis tua vox] *Videtur legendum* puerilis: *nam ſuprà dixit;* Ex qua hic eſt puer, & nupta iam filia.

5. Quot ſtimulos admouerit] *Placet* quos, *pro* quot, *vt eſt in manuſcripto.*

6. Et paſtorum ſtabula præclara cepiſſet] *In manuſcripto eſt*, prædari cœpiſſet, *& ita videtur legẽdum.*

7. Sed etiam memoriam dignam] *Pantagathus;* Sed etiam memoriæ dignitatem, *fortaſſe nõ malè: ſed melius, vt opinor, habet manuſcriptus*, Memoria dignam in Rep. capeſſenda dignitatem.

8. Vt in eum non inuaſiſſe, ſed incurriſſe videamur] *Pantagathus;* Vt in me non inuaſiſſe, ſed incurriſſe videatur.

9. Parum ſe fœdus violaturum arbitratus eſt] *Ita Pantagathus, cùm in aliis deſit verbum*, eſt.

10. Soluit ſubitò legũ vinculis conſul] *Ita Manutius: in manuſcripto eſt*, ſoluit ſubitò legum cura conſul: *vnde coniecit Turnebus legendum eſſe*, Legẽ curiata: *quæ lectio valdè congruit veritati, neque multum abeſt à littera; ſed cùm ſit ſecutus verbum* cura *ſuppoſititium: placebat Pantagatho, vt eo verbo reiecto, ita legeretur*, Soluit laqueo legum conſul.

11. Si nondum ſcelera] ſi vnquam ſcelera, *Pantagathus.*

12. Puteali & fœneratorum gregibus inflatus atque perculſus] *Pantagathus hunc locũ ita reſtituit,* Puteali & fœneratorum gregibus infenſus æquè, atq. cõpulſus olim ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhereſceret, in tribunatus portum perfugere (*ſiue vt eſt in aliis*) confugere.

13. Atque ab iis iri ſe ereptum] *Ita ſcribendum, cùm in aliis deſit verbum* iri.

14. Quem enim deprecarentur] eſſent deprecati, *melior lectio.*

15. In concione relegauit] in concione ſine lege relegauit: *ita in vetuſto quodam libro ſcriptum inueniri, teſtatur amicus meus homo doctiſſimus.*

16. Sine vllo iudicio, aut edicto] *Pãtagathus legebat,* Sine vllo iudicio, ſuo edicto: *coniectura credo ductus, quòd ſuprà dixit,* Relegauit edixitque vt ab vrbe abeſſet millia paſſuum ducenta.

17. Deliget quem volet] videlicet, quem volet damnabit, *ita ſcriptum animaduerti ad oram libri doctiſſimi viri.*

18. Quid hæc mea oratio tam longa, ac tam altè repetita] tam longè, *melius, vt opinor, eſt in quodam libro.*

19. Omnia quæ tum contra me contraq. Remp. dixerant] *Melius, vt opinor, eſt in manuſcripto:* Omnia quę tam contra me, quàm cõtra Remp. dixerãt.

20. Vt omnibus feſtis diebus] *In manuſcripto libro eſt* factis, *vnde coniecit Ant. Auguſtinus* faſtis *legẽdum eſſe: quam lectionẽ confirmat locus ſimilis in Oratione in Piſonẽ. Leuior autẽ violatio eſt faſtorũ, quàm feſtorum: faſti enim excludunt Comitiales, feſti vtroſq.*

21. Ni-

21. Nihil reliqui magiſtratus] *Ita eſt in vulgatis: ſed rectius, vt videtur, in manuſcripto*, Nihil reliqui poterant magiſtratus.

22. Ceſſit ne aut victus] *Ad oram libri emendati à viro doctiſſimo ita hic locus reſtitutus eſt*, Ceſſit tamen nihil tergiuerſatus, ne aut victus &c.

23. Hæc cùm ego viderem, neque enim erāt occulta] *Ex Demoſthenis oratione* περὶ στεφάνου, *ferè ad verbum:* ταῦτα δὲ ὁρῶν ὁ φίλιππος, οὐ γὰρ ἦν ἀφανῆ.

24. Direptio denunciaretur] *Ita Pantagathus.*

25. Quis enim vnquam me à Senatu populoq. Romano tanto bonorum omnium ſtudio reſtituto, quod certè ſi eſſem interfectus, accidere nō potuiſſet, vllam Reip. partem &c.] *Aliter hic locus legitur in libro, qui eſt apud me emendatus à viro doctiſſimo, & multo quidem melius, quàm in vulgatis:* Quis enim vnquam me à Senatu, populoque Romano, tāto bonorum omnium ſtudio reſtituto, omnia pro Reſp. pericula adire dubitabit? quod certè ſi eſſem interfectus, nunquam accidere potuiſſet, vt quiſquam vllam Reip. partem &c.

26. Atque ille vitam ſuam ne inultus eſſet ad incertiſſimam ſpem Reip. fatum reſeruauit] *Ita legit hunc locum Pantagathus mutata voce*, ſtatū, *in* fatum, *& deletis* & ad, *quæ ſunt in vulgatis.*

27. Eorumq. periculorum eſt in Rep. retinenda medicina] *Cùm in manuſcriptis libris* eorumque periculo, *ſcriptum eſſet, vocem* periculo *alij in* periculorum, *mutauerunt. Pantagathus autem* periculo, *retinuit, ſed pro* eorumque *emendauit* bonorumque.

28. Vt cenſoria notatio] *Videtur ſcribendum* notio *pro* notatio; *quæ lectio in antiquis etiam libris reperitur, & loco quodam ex Oratione de Prouinciis Conſularibus*

ſularibus confirmatur, in qua ſcriptum eſt: Clodius cēſorum iudicium ac notionem & illum morem ſeueriſſimum magiſtratuum de ciuitate ſuſtulit. *& in Piſonem,* Centum propè annos legem Æliam & Fuſiam tenueramus, quadringentos iudicium notionemque cenſoriam.

29. Tulit geſſit] Tigranes, *pro* tulit geſſit, *emēdauit Ant. Auguſtinus, veteris libri corruptam ſcripturam ſecutus. Lambinus in manuſcripto codice Memmiano* Tigranes igitur *ſcriptum reperiri affirmat: cui ſi fides habenda eſt, non erit de lectionis veritate dubitandum. Pantagathus improbata Ant. Auguſtini coniectura, quòd de alio quàm Tigrane dicta hæc à Cicerone exiſtimabat,* Albanus rex, *pro* Tigranes *legebat. conſtat autem Albanum regem bis cum Pompeio confligiſſe, fidemq; etiam violaſſe. Idem* Commagenus *olim pro* tulit geſſit *correxerat, vt ex eius cōiectura cognoui, quam ad oram libri annotauit.*

30. Quanquam quis audiret ſi maximè queri vellent.] *Ita hunc locum emendauit Pantagathus pro* auderet & vellet.

31. Hic aliquando ſerius] Hic aliquanto ſerius *ad oram libri emendatum eſt à viro doctiſſimo.*

32. Ex quo intellectum eſt nō mihi abſenti creuiſſe amicos] *Quidam* decreuiſſe *emendarunt, pro* creuiſſe, *ſed malè omnino: vulgati autem rectè quidem habent, ex iis quæ præcedunt, & quæ ſequuntur de Pompeio, de frequenti ſenatu, de Mēmio, de ſociis Clodij damnatis, de negantibus ſe tuliſſe ſuffragium, de tota ciuitate fratri obuia, de equitibus, de octo Tribunis plebis: quod poſtea ait,* in ea præſertim fortuna.

33. Quo magis nationis eius eſſe quàm generis videretur] *Opinor legendum:* Quo magis generis eius eſſe

eſſe quàm nationis videretur. *Confirmat autem hanc lectionẽ locus ſimilis in oratione pro A. Cluentio, de hoc ipſo Ligure* : Quid tu(*inquit*) Pæte? hoc enim Stalenus cognomen ex imaginibus Æliorum delegerat, ne ſi ſe Igurẽ feciſſet, nationis magis ſuę, quàm generis vti cognomine videretur.

34. Si ille vt arbitror æquus nobis fuerit] fuerat *eſt in antiquo libro, & ita omnino legendum videtur.*

35. Sed ex deſerto Gauij Oleli horteo calatis granis, in Calatinos Atilios inſitus] *Ita Pantagathus primus hunc locum emendauit, à quo Manutius, & alij acceperunt, & rectè quidem: hac ironia quòd ante adoptionem iam eſſet Calatinus calandis granis (non dimetiendis modiis) in pauperrimo horreo patris Gauij Oleli, quaſi ibi non dimetiretur modios, ſed ſingula calaret, id eſt, vocaret ac numeraret grana. irridens in eo Calatini cognomen alioqui nobile.*

36. Et temporibus & Reip.] & temporibus Reip. *ſine copula, quæ ſecundo loco poſita eſt, multo melior lectio.*

37. Reip. ſanguine ſaginantur] ſaginabantur *Pantagathus.*

38. Quam acceptam gemere, non queri poſſet] *Ita ſcriptum eſt ad oram libri doctiſſimi viri, cùm in vulgatis deſint illa,* non queri.

39. Maledicito Sabino] *Pantagathus ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ* maledic Titio Sabino, *& rectè: Ego autem pro* Titio, *mallem* Titurio, *quòd eius gentis cognomen ſit Sabinus, niſi tam ſæpè huius Titij in orationibus faceret Cicero mentionem. pro* cur tam temerè, *in antiquo eſt*, cur tam tempore.

40. Obnuntiaret quod ſenſerat] renũtiaret quod ſeruarat, *Pantagathus.*

41. Adiit igitur T. Annius ad cauſam Reip. ſicut ciuem patriæ recuperare vellet ereptum] *Ita olim hunc locum emendauit Pantagathus: quid enim aliud diceret, cùm poſtremum verbum in vulgatis corruptum eſſet, & pro eo legeretur* Reip. tum? *ſed in vetuſtiſſimo libro aliter hunc locum ſcriptum reperiri, ex eruditiſſimi viri emendatione cognoui, quam ad oram libri notauit*: Adiit igitur &c. ſicut ciuem par erat qui Remp. recuperare vellet.

42. Et vinci turpe putauit, & deterreri etiam eripi reiecit. Vt quoniam] *Locum turpi mendo deprauatum, alij aliter emendare conati ſunt. Ant. Auguſtinus* & deterreri vt turpe reiecit, *reſtituit. ſed frigida* turpe *repetitio: &* reiecit, *non ſatis aptum verbum videtur. quid ſi ita legatur?* Et vinci turpe putauit & deterreri, etiam eripi reum: fecit vt &c. *nã Conſul, Prætor, & Trib. pl. Clodium eripiebant. & infrà dixit*, fecit vt &c. *hac autem coniectura, ab antiquo libro aliqua in parte confirmatur, in aliqua improbatur, in quo vt ex doctiſſimi viri collatione cognoui, ita ſcriptus hic locus reperitur*: Et vinci turpe putauit, & deterreri etiam turpe: reiecit quod erat ſecutus cõſilium: fecit quod erat ſecundum, vt quoniam &c.

43. Eademque ratio P. Sextij fuit] eadem quoq. ratio, *Pantagathus, & rectè.*

44. Eſto igitur vt hi ſint optimates] *Ita eſt in meo libro, cùm in vulgatis deſit vox* optimates.

45. Neque eloquentiam iucunditate fuiſſe maiorem] maiore *correxit Ant. Auguſtinus, & ita ſcriptum inueni in vetere libro. Optime autem: ſemper enim Pompeij ſententia magna auctoritate & eloquentia, magna iucunditate, at nunquam maiore, quàm tunc.*

46. Quis non modò non approbauit] *Ita olim*

Pan-

Pantagathus emẽdauit: lectionem huiuſmodi comprobante antiquo etiam libro, in quo infrà eſt, reſpirare *pro* ſpirare.

47. Et hi ex alia tribu] & hi ex vna tribu, *legit Ant. Auguſtinus.*

48. Ab idiotarum diuitiis] deliciis *emendauit Pantagathus, coniectura planè diuina.*

49. Nihil ſanè à te iuuabatur] *Pantagathus felici hunc æquè locum coniectura reſtituit*, Nihil ſanè à re iuuabatur, *familiari ſcilicet, quam cõfecerat; quod confirmat*, Pignoribus empto vino.

50. In quo tamen eſt me vultus, cum illo ore inimicum eſt meum ſuauiatus] *Ita Pantagathus hunc locum olim ſe reſtituiſſe dicebat, nõ ingenij acumine, ſed recenti tunc Catulli lectione. Ego autem non tam recẽti, vt ipſe dicebat, Catulli lectioni, quàm excellentis ingenij, quo fuit præditus, acumini tribuendam eam emendationem exiſtimo: qua quidem & ſi nihil excogitari aptius huic loco poteſt, eundem tamen locum ita proferam, vt in impreſſo quodam libro emendatus ex collatione veteris codicis reperitur:* In quo tamen quid eſſet quamobrẽ inimicus ille eſſet meus, qui quaſi &c.

51. Quoniam optimo cuiq. impertitur] quando optimo cuique *alij legunt: & paullo pòſt*, Ei qui pendet, à rebus leuiſſimis, *ad oram libri doctiſſimi viri ſcriptum eſt*, Ei qui pendet, qui rebus leuiſſimis.

52. Togata, ſimulans] Togata Simulans *Pãtagathus: vt ſit comœdiæ nomen. paullo ſuprà legebat*, gratam *pro* gratum. *&* conſuli ipſi, *pro* ore ipſi. *& infrà*, Poſt principia ecqui exitus otioſæ vitæ, *pro* atque exitus.

53. Cantorum conuicio] comitio *Pantagathus.*

54. Quid illi conuentus] ille cõuentus, *ſcriptum*

eſt in vetuſto codice.& infrà, optimatũ, *pro* optimatiũ.

55. Exiſtimare facilius poſſunt, qui audiuerunt] æſtimare *vetus codex.*

56. Cui nos offenſi, inuiſíque fuerimus] infenſi *pro* offenſi, *ſcriptum eſt in antiquo libro manuſcripto.*

57. Emergebat ſubitò] ſed emergebat ſubitò, *vetus liber. & paullo pòſt*, de quibus ad ſenatum miſſus erat, *pro* à quibus.

58. Qui excitatus ſumma cũ auctoritate P. Seruili] *In vetere libro*, ſumma cum auctoritate veſtra, tum P. Seruili.

59. Et ad vnum dicto citius Metelli caſum] *Faërnus*, & ad vnũ Numidici Metelli caſum. *quod cur ita mutandum eſſet, dicebat Pantagathus ſe non videre: tolluntur enim duo verba, quæ faciunt mirè ad emphaſim, vt pro iis reponatur verbum ſuperuacaneum, & longè abſimile ab imagine priorum litterarum. Suffragatur autem antiquæ lectioni cùm illud* excitatus, *tum illa infrà*, dicenti etiam tum, *& poſtea*, diutius.

60. Idem etiam ipſius coloniæ Brundiſinæ idem vt ſcitis] *Ita eſt in vulgatis. Ant. Auguſtinus legit* Brundiſinæ deductionis: *verum quidem, ſed longè ab imagine veteris ſcripturæ, & à dicendi modo*, natalis deductionis: *aptius eſſet*, natalis coloniæ. *Pantagathus ex prima libri* IV. *ad Atticum epiſtola ita hunc locum legebat*: Cùm ipſis Nonis Sext. idem dies aduentus mei fuiſſet, qui natalis idem cariſſimæ filiæ, quã ego grauiſſimo tum primum deſiderio, luctuque conſpexi: idem etiam ipſius coloniæ Brundiſinæ: idem & ſalutis; *vt* reditus *ſit ſcholium* aduentus: *& ſalutis Augurium in Quirinali vicinum Attico, notetur.*

61. Per indicem Vettium] Iudicem *hîc, & in Vatinium ſcribẽdum eſt ex auctoritate veterum nummo-*

rum,

rum, in quibus T. Vettius Iudex *notatus eſt.*

62. Quo quis petierit] petat, *Pantagathus, & rectè: nam in Vatinium dixit*: Cùm mea lex dilucidè vetet, biennio quo quis petat, petiturúſue ſit, gladiatores dare. *paullo infrà*, Accipite aliud etiam acutius, *pro* aliquid. & dicit ſe non gladiatores, ſed vnam venationem dare, *pro* vnum gladiatorem dare; *idem Pantagathus emendauit.*

63. Raptata coniunx] iactata, *quidam*: *& infrà*, inſidorum, *pro* inſidelium, *legit Ant. Auguſtinus.*

IN ORATIONEM
IN VATINIVM.

1. Intuliſti, vt mihi renouatus ille tuus in te veterem meum &c.] *Locũ hunc in omnibus qui circumferuntur libris, mendosè ſcriptum, ita olim Pãtagathus emendarat:* Intuliſti. tum nihil remoratus incuſaſti me, quod meũ &c. *ſed hac poſtea improbata lectione, aliter reſtituere conatus eſt, & multo vt mihi videtur, melius, quòd & in tralatione permanſit, & meliorem ſententiam effecit*, Vt in me euomeres illud virus, cur veterem meum &c. *paullo ſuprà pro* accedat, *idẽ Pantagathus* accidat *primus emendauit: quam lectionem Adriano quoque Turnebo in mentem veniſſe ex eius aduerſariis cognoui.*

2. Homo imperitiſſime ſolidæ laudis] impuriſſime *pro* imperitiſſime *vidi notatum in margine libri eruditiſſimi viri.*

3. Quid quiſq. noſtrum de ſe ipſe loquitur, non eſt ſanè requirendũ: quod boni iudicent, id eſt maximi momenti, & ponderis] *Ita hunc locũ emendauit Pãtagathus, cùm in vulgatis deſit* quod, *& abũdet* viri.

4. Atq. infimo] *Videtur legendum* verùm etiam infimo, *quomodo vidi emendatum à viro doctiſſimo ad oram libri.*

5. Fortunis, liberis, ciuibus] coniugibus *pro* ciuibus *in quodam vetere exemplari ſcriptum eſt, & ita legendum eſſe exiſtimo.*

6. Deos manes mactare] placare *ſenſus poſcit, vt legatur, pro* mactare: *& ita olim Pantagatho in mentem veniſſe animaduerti.*

7. Expectaris ne dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum, & Q. Claudium] *In vetuſto codice manuſcripto, qui apud me eſt, legitur* Cn. Lentulum Claudianum, *& ita omnino ſcribendum opinor. Agellius lib.* XVIII. *cap.* IV. *facit* Cn. Lentuli *huius*, Clodiani *ex adoptione appellati mentionem, adducto ex hiſtoriis Salluſtij teſtimonio*: At Cn. Lentulus Patriciæ gentis, collega eius, cui cognomen Clodiano fuit, per incertum, ſtolidior, an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus bonorum remiſerat, exigenda promulgauit.

8. Contentionem reiectionis dare] reiectione *legebat Pantagathus commodiore ſententia: in manuſcripto tamen eſt* condicionem, *pro* contentionem.

9. Vt in epulo Q. Arij] Q. Arrij, *duplici* rr. *ſcribēdum eſt, auctoribus antiquis numiſmatibus, in quibus* M. ARRIVS SECVNDVS *notatus eſt.*

10. Quo etiam maiore es malo mactādus] mulctandus, *emendauit olim Pantagathus coniectura ductus: & ita ſcriptum reperitur in veteribus etiā libris.*

IN ORATIONEM
PRO M. CÆLIO.

1. De dignitate Cælius notis ac maioribus natu,

etiam

etiam ſine mea oratione tacitus facilè ipſe reſpondeat] *Plautus ſimili modo locutus eſt*, notis prædicas, *hoc eſt, qui ipſum norunt.*

2. Cuiuſmodi autem ſit] *Ant. Auguſtinus* cuicuimodi *legit. Ego non audeo contradicere codicibus antiquis, in quibus eſt* cuiuſmodi.

3. Aut quibus neceſſe eſt idem dicere] *Locũ hũc opinor non vacare mendo: Ant. Auguſtinus*, Nec eſſe ibidem liceret *emendauit, cuius coniecturam ſequor.*

4. Et omnia inflammatus ageret] inflammatius *Pantagathus.*

5. In quibus vna eademq́. perſona verſatur] vrgetur *habet vetus liber, pro* verſatur.

6. Qua iſta delectatur] qua iſti delectãtur, *Ant. Auguſtinus, optimè, vt ego quidem puto.*

7. Non ne te] *Videtur ſcribendum*, non te, *deleta particula*, ne.

8. Non nunquam in iiſdem hortis viſa nobilis mulier] *Amicus meus homo doctiſſimus hunc locum paucis immutatis ita interpungit:* Non nunquam in iiſdem hortis. vis ô nobilis mulier illum filium familias patre parco ac tenaci habere tuis copiis deuinctum? non potes &c.

9. Baias iure ſuo libidines omnium commearẽt] *Pro* Baias *legebat Pãtagathus* Balneas: *ingenioſa quidẽ cõiectura, ſed nõ neceſſaria, cùm* Baias *quoq; ferri poſſit.*

10. Non flagrantia oculorũ] odorum, *Ant. Auguſtinus, ſed non placet. primũ quia debet legi* fragrantia, *non* flagrantia: *deinde vehementior eſt oculorum, quàm odorum: poſtremò ſermonis libertas hoc cõfirmat: aſpectus, ſermo potius, quàm odor, ſermo.*

11. Vel in legatis inſidiandis] παθητικῶς *& hic* inſidiãdis *dictum eſt, & infrà* in inſidiis doctiſſimi ho-

minis

minis: *neque verò probo eorum cōiecturam, qui pro* inſidiandis *legendum putāt, vel* violandis, *vel* per inſidias, *ſiue* inſidioſè.

12. Si dixit eodem ſe conſcientiæ] ſin dixit *Pantagathus*.

13. Facinoris tantum eſſe] facinus tātum, *emendauit Pātagathus, cùm prius* facinoris tanti *correxiſſet pro eo quod eſt in manuſcriptis* facinori tanto. *ſuprà idem pro* labem ſceleris ſempiterni, *reſtituit* ſempiternam: *quæ lectio recepta ab aliis fuit, & vulgata.*

14. Si per ſe, qua temeritate? ſi per alium] ſin per alium *Pantagathus.*

15. Cùm à me ipſo laborata proferri viderētur] elaborata *Ant. Aug. & optimè: nam ſuprà*, Cura & vigiliis elaborata *dixit.*

16. Si hic nemini nomen] neminis *Pantagathus*: *& paullo pòſt*, ſui familiaris abſoluti.

17. Nequam vocē eliciat] eiiciat *habēt libri manuſcripti, quorum ſcripturam confirmat Euripidis verſus in Hippolyto, ex quo ſententiam videtur Cicero mutuatus:*

οὐδὲ σκότον φρίσσουσι τὸν ξυνεργάτην,
τέρεμνά τ' οἴκων, μήποτε φθογγὴν ἀφῇ.

18. Quadrantaria illa permutatione] penſitatione, *Pātagathus: vel vt poſtea mutauit* permulſatione.

19. O magna vis veritatis] *Sententia ſumpta ab Æſchine ex oratione contra Timarchum:* οὕτως ἰσχυρὸν *(inquit)* ἐστὶν ἡ ἀλήθεια, ὥστε πάντων ἐπικρατεῖν τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν.

20. Comeſſatorumq́. conſpectus] conſeſſus *eſt in vetere libro, pro* conſpectus.

21. Hęreāt, iaceāt, deſeruiāt] *Pro* iaceāt *Pātagath⁹ legebat*, teneant, *aliquāto, vt videtur, meliore ſentētia.*

12. Ceſerni] C.Eſerni, *Pantagathus, & rectè: & paullo pòſt*, Eſerni *pro* Ceſerni.

23. Iam iſta deferuerint] deferbuerint, *Pantagathus olim emendauerat: poſtea nactus antiquiorem librum, in quo* deſeruerint *ſcriptum eſſet, reiecta priore lectione*, deſeruerit *emendauit.*

24. Iam dies mitigarit] multa dies mitigarit, *Pantagathus: & fortaſſe melius, quàm vt alij emendarunt.*

IN ORATIONEM
PRO BALBO.

1. Principio orationis hoc oppono] ;pono, *Ant. Auguſtinus.*

2. Nihil de memoria, de more, de exemplis acutius] *Locus hic variè legitur in libris manuſcriptis: ſed in meo, & ſi non omnino emendatè, minus tamen mendosè, ſic:* Nihil maiore memoria: de exemplis acutius. *vt inde verior aliqua lectio elici poſſit.*

3. An omnino neſcire, quid liceat] quam omnino &c. *Pantagathus.*

4. Atq. vt ego ſentio iudices cauſa dicta eſt temporis magis ego non huius inquam genere iudicij plura dicam.] *In omnibus quos vidi codicibus, mendosè ſcriptus hic locus reperitur, quem Pantagathus minus corruptæ ſcripturæ ſecutus veſtigia, ita emendauit:* Atque vt ego ſentio iudices cauſa dicta eſt Pōpeij magis quàm huius. quo in genere iudicij plura non dicam. *ſiue*, in quo ego genere &c.

5. Qua lege videmus ſatis eſſe ſancti] *Pantagathus*, videamus ſanxiſſe ſenatum.

6. Vt tum lege eadem] *Pantagathus delebat particulam* tum.

7. Publi-

7. Publicè donari videbamus] iudicamus *videtur legendum, vt reſpondeat ſuperioribus*, videmus, ſcimus.

8. Id ne liceat ipſis?] *Delebat hic interrogationis notam Pantagathus, quam ad verbum* priuati *paullo infrà reponebat, & rectè: pro* id eſt, *vetus liber habet* &: *vt ſit*, pro libertate & ciuitate.

9. Neque ſi velit mutare non poteſt] *Ita eſt in vulgatis, & puto rectè: Ant. Auguſtinus legit*, Neq. ſi velit non mutare non poteſt: *in quo idem ſentit cum alijs, ſed putat non poſſe idem ſentiri ſine illo* non. *atqui ſi ita interpungat, videbit non opus eſſe* non. neque ſi velit mutare non poteſt.

10. Iapidum] Iapydum *videtur ſcribendum. Græci enim ἰάπυγας dicunt.*

11. A cognitione ſua] *Pantagathus* à cognitione ſui, *& rectè.*

12. In qua aliquid ſacroſanctum videretur] *Pantagathus*, In quo aliquid ſacroſanctum exceptum lege videretur.

13. Aut obteſtatione & conſecratione legis aut pœnæ] *Ita eſt in vulgatis. Ant. Auguſtinus reponit* pœna *pro* pœnæ, *aliquanto melius: ſed neq; hoc planè implet ſenſum. nam infrà oſtendit idem eſſe conſecrationem, & pœnam. quod ſi eſt, ineptè diſiunxiſſet, quod eſt idem, enumerando membra ſacroſancti, quæ ſunt tria: genus (quod intelligo materiam religionis;) obteſtatio legis (quod eſt aut iuſiurandum, aut iræ deorum imprecatio;) conſecratio pœnæ ſiue capitis, quod quid ſit, ipſe ſtatim declarat. quare totum hunc locum ita cum Pantagatho legerim:* Aut genere ipſo, aut obteſtatione legis, aut conſecratione pœnæ cum &c. *ac libentius legerim* ſacroſanctæ, *quàm* ſacrãdæ, *quaſi* ſacræ ſanctæ.

14. Vtrum

14. Vtrum à capitis conſecratione] *Ant. Auguſtinus delet* à, *& rectè.*

15. Nihil omnino vnquam de iſto fœdere ad populum, nihil ad plebem, neque legem, neq. pœnam, latum eſſe dico: neque quicquam illis verbis, quid ſacroſanctum eſſet, exceptum eſſe videtur, de quibus etiam ſi latum eſſet, ne quem ciuem reciperemus, tamen id eſſet, quod populus poſtea iuſſiſſet ratum, de his &c.] *Ita hunc locum legit Pantagathus.*

16. Iuſtitia noſtra] *Placet* veſtra, *vt eſt in manuſcripto.*

17. Maieſtatem populi R.] vt maieſtatem &c. *Pantagathus.*

18. Omni ſanctiorem Marte] arce *pro* Marte *in meo vetuſtiſſimo libro ſcriptum reperitur. quam lectionem & ſi tueri facilè poſſim, adductis ex oratione pro P. Sulla, pro Domo, & aliunde exemplis formulæ loquendi huiuſmodi, ob ea tamen quæ præcedunt verba* fœderis Marciani, *vulgatam ſcripturam libenter retineo.*

19. Brutos Horatios Caſſios] *Pro* Horatios *habent* Hortios *libri veteres, vnde cõiicere quiſpiam poſſet,* Porcios *ſcribendum eſſe. Ant. Auguſtinus legit* Gracchos: *rectè, ſi habet hiſtoriam Gracchi alicuius Imperatoris in Hiſpania mortui.*

20. Grauiſſima tum in iſtum ciuem ſuum Gaditani S.C. fecerunt] *Vetus liber habet,* Gaditani ſenatus conuicia fuerunt.

21. Omnibus iuris peritiſſimis] *Vetus liber,* hominibus iuris peritiſſimis.

22. Quem cùm diſertus homo L. Antiſtius accuſaret, Spoletinus dixit fundum populum Spoletinum non eſſe factum] *Pantagathus ingenioſè hunc locum ita reſtituit:* Quem cùm diſertus homo L. Antiſtius

Antiſtius accuſaret, iſtud ei non dixit, fundum Spoletinum populum non eſſe factum.

23. Idem Heros LX. Gaditanos] *Vetus liber*, idem Prætor LX. Gaditanos.

24. Hoſtem qui feriet] *Pantagathus totum hunc locum ita legit*: Hoſtem qui feriet mihi erit inquit Carthaginienſis, quiſquis erit ciuis: at illi & id habent hodie & ſemper habuerunt.

25. Damnato Cœlio] C. Ælio, *Pantagathus, vt puto, ex hiſtoria.*

26. Vt conſeruata magis, quàm corrupta] conflata *Pantagathus pro* corrupta: *& rectè, vt mihi videtur.*

27. Vt in me omnis illa inclinatio] in me vnum *Pantagathus.*

28. Id enim contendere mihi videtur è Rep. cùm id defendas quod eſſe optimũ ſentias: & id fortium virorum & magnorum hominum ſemper putaui] *Aliter hic locus legitur in manuſcriptis, & multo, vt mihi videtur, melius*: Ita enim contendere de Rep. vt id defendas, quod eſſe optimum ſentias, & magnorum hominum, & fortium virorum ſemper putaui.

29. Lege Sempronia] Trebonia, *Pantagathus ingenioſè ex hiſtoria; quamuis* Sempronia *verior lectio ſit. Tulit autem A. Trebonius Tr. pl. Pompeio & Craſſo* II. *Cos. vt Cæſari imperium in Gallia in aliud quinquennium, quàm quod ei Vatinia lege conceſſum erat, prorogaretur: ita Trebonius ſenatui ſucceſſoris mittendi poteſtatem ademit. Dio lib.* XXXIX.

30. In cõſulatu præfectum fabrûm detulit] præfecturam fabrûm *eſt in antiquo libro, & ita olim Pantagathus emendauit.*

31. Quicquã noui ſentiatis] cẽſeatis *Pãtagathus.*

IN

IN ORATIONEM DE PROVINCIIS CONSVLARIBVS.

1. Cùm tu idem qui gubernare debueras, euerteres] *Videtur melius eſſe in manuſcripto*, Quã tu idem qui gubernare debueras, euerteras.

2. Huic vos non ſummittetis] *Vetus liber* ſucceſſorem mittetis *pro* ſummittetis.

3. Quorum alter non audet nos certiores facere, ne Imperator appelletur] cur Imperator *Ant. Auguſtinus: ſed*, vt, *reperitur in manuſcriptis libris*.

4. Ceteras cõtriuit] cõterruit, *liber manuſcriptus*.

5. Me ille vt quinqueuiratum acciperem rogauit] *Ant. Auguſtinus* vigintiuiratum *emendat ex hiſtoria, cuius meminit Dio lib.* XXXVIII. *Suetonius in Auguſto, & Cicero ipſe ep.* II. *lib.* IX. *ad Atticum, cùm de Cæſare inquit*, Repudiari ſe totum magis etiam, quàm olim in XX viratu putabit: ac ſolet cùm ſe purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me ſibi fuiſſe inimicum, vt ne honoré quidem à ſe accipere vellem. *Planè in primo Cæſaris conſulatu creati fuere* XX. *viri, agro Campano æſtimando: ſed videndum eſt, num Quinqueuiri quoq; creati fuerint agro æſtimato diuidendo, atque de iis, non de illis rogarit Tullium Cæſar*.

IN ORATIONEM IN PISONEM.

1. Mihi ipſi homini nouo] *Non diſplicet veteris libri ſcriptura*, mihi ipſi non nomini.

2. Cum hac importuna bellua comparem] *Videtur reſpexiſſe ad Æſchinis locum ex Oratione contra*

R *Cteſiphon-*

Cteſiphontem, οὐδ᾽ ἐν ταῖς αὐταῖς ἡμέραις ἄξιον ἡγοῦμαι μεμνῆσθαι τοῦ θηρίου τούτου καὶ ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν.

3. Si tua conſilia cum illo coniuraſſet] *Magis placeret ſi legeretur* coniunxiſſes : *alij delent vocem*, conſilia.

4. Nam relatio illa ſalutaris] *Placet* delatio, *vt eſt in antiquo: & paullo pòſt*, interimere, *pro eo quod eſt in vulgatis*, interire.

5. Iacebat in ſuo Græcorum fœtore] ſuorum *pro* ſuo *legendum opinor*.

6. Idemq. in Italia] *Locum ſine dubio corruptum, amicus meus verbo* idemq. *in* is *ſe mutato reſtituebat*.

7. Tamen cupere vos diceretis] *Videtur legẽdum* tamen cupere non diceretis.

8. Sed vt mortuus infamis referri videretur] in funus *habet antiquus liber, pro* infamis: *quæ olim lectio adeò mihi placuit, vt* efferri *pro* referri *legendum putarim. nunc contrà: non enim hic agitur de Imperatore elato in funus, ſed de turpiter in prouincia mortuo, domum relato; cui contenditur nobilis Imperator ex prouincia domum, ſiue ad vrbem glorioſè rediens*.

9. Quorum tu legatorum prœlio Imperator appellatus eras] *In Vaticano codice ſcriptum eſt*, Quorum tu legatorum opera in prœlio Imperator appellatus eras.

10. Sponſione me ni Eſquilina introiſſet homo promptus laceſſiuit] *Ita hic locus legitur in vetuſtiſſimo codice Vaticano: atq. ita olim ex ingenio emẽdarat Pantagathus, qui de corruptis vocibus* reſpõſione Memimica *fecerat* ſponſione me ni vincat, *ab antiquæ ſcripturæ veſtigiis non recedens*. promptiſſimus *etiam pro* promptus *retinebat, vt eſt in veteribus libris*.

11. Nam vt leuitatis eſt] *Totum hunc locum ita legit*

legit Pantagathus: Nam vt leuitatis eſt inanem aucupari rumorem, omnes vmbras etiam falſæ gloriæ conſectari; ſic ieiuni eſt animi lucem ſplendoremq́; fugientis, iuſtam gloriam qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſſimus, repudiare.

12. Coronam illam lauream] auream *habet liber Vaticanus, ſed nō placet; nam M. Craſſo de Fugitiuis, & Spartaco ouanti, laurea (vt inquit Plinius) conceſſa fuit, cùm alij ouantes myrtea coronari ſoliti eſſent. & paullo pòſt,* L. Afrani *pro* P. Africane: *quod probo: vt intelligamus de L. Afranio, qui poſt P. Seruilium conſul fuit cum Q. Metello* Celere *anno* DCXCIII. *P. autem Africanus, qui centum quinquaginta ferè annis antè triumphauit, non bene cum Q. Metello, P. Seruilio, aliiſq́; qui à Cicerone nominantur, quiq́; tunc viuebant, coniungitur.*

13. Vt es homo facetus ad perſuadendū] factus *legit Ant. Auguſtinus, pro* facetus. *& rectè, vt mihi quidem videtur: Nam facetiæ non obtinēt primas partes in perſuadēdo, vt eas anteomnia præponere debuerit.*

14. Ipſe cum homines quindecim à maleueſtitis] *Ita eſt in libro Vaticano, cùm in aliis deſit præpoſitio* à. *fortaſſe autem nomen eſt loci,* Maleueſtiti.

15. Bibitur vſque eò, dum de ſolio miniſtretur] *Ita in libro Vaticano ſcriptus hic locus reperitur, quem antea turpi fœdatum mendo, Ant. Auguſtinus ita emendarat, vt pro* ſolio *reponeret* dolio; *quod non erat ferendum: cùm enim ſupra dixerit de* cupa, *quomodò hic de* dolio? *Pantagathus autem legebat,* Bibitur autem vſque eò dum bellaria miniſtrentur.

16. Iſte claudus (quemadmodum aiunt) pilam retinere: quod acceperat teſtificari] *Ita eſt in vulgatis. Ant. Auguſtinus* pilam retinere quod acceperat,

optimè interpungit. Videndum an ita ferri poſſit: Iſte (claudos quẽadmodum aiunt pilam) retinere quod acceperat, teſtificari, tabulas obſignare velle.

17. Deuenit aut potius incidit] *In libro Vaticano,* Deuenit autem, aut potius incidit.

18. Concedat laurea linguæ] laudi *eſt in libro Vaticano: quod miror Faërnum non animaduertiſſe, cùm* laudi, *pro* linguæ *in aliis etiam libris ſcriptum reperiatur. & ita omnino legendum eſſe conſtat vel ex iis, quæ paullo infrà ſcripta ſunt, quibus veterum librorum de Officiis auctoritas accedit.*

19. Cuius ego beneficiis quidẽ ſententiã meam tradidiſſem] *Pro* quidem, *puto legendum eſſe* pridem, *meliore ſententia.*

20. Sic tuis ſceleribus Reip. præterita facta refricabis] *Pro* facta *non dubito, quin legi debeat* fata: *quam lectionem ad oram libri doctiſſimi viri notatam me legiſſe memini.*

21. Deuorata pecunia Vtinachorum] *Veteres aliquot libri, quos ego quidem inſpexi, habent* Achæorum, *pro* Vtinachorum.

22. Dum de te quinque & ſeptuaginta tabellæ diribeantur] *Ita emendauit Ant. Auguſtinus, cùm in vulgatis antea* diripiantur *legeretur: neque verò admodum abſimile eſt* dirimantur: *dirimũtur enim, quæ prius confuſa erant. præter ſuffragia autem non memini eſſe in vſu* diriberi, *vt* dirimi.

23. Parthini, & Bulienſes] *Videtur ſcribendum,* Bullidenſes *vt eſt in antiquis libris, quorum ſcripturam confirmat locus in* III. *Commentariorum Cæſaris.*

IN

IN ORATIONEM
PRO MILONE.

1. Neque ſolum vt quieto] æquo,*pro* quieto *habet liber vnus manuſcriptus.*

2. Omnibus exitiis publicis pauit] parauit,*vetus liber pro* pauit.

3. Metu crudeliſſimorum exitiorum carere non poſſumus] *Scriptus codex habet* ſuppliciorum, *pro* exitiorum ; *quod placet : vt quæ à iis dicentibus inferantur .*

4. Non ſolum diuina] *Videtur ſcribendum* humana,*& ita vidi in quodam libro emendatum.*

5. Nec ſe expectari iubent: cùm ei qui expectare velit] ſpectari *pro* expectari *in vetuſto quodam libro ſcriptum eſt:&* ſpectare, *pro* expectare *poſteriore loco mauult Ant. Auguſtinus. quod quidem non video cur malit: non enim hic agitur de ſpectãdo. ſed de expectando: ſpectantur enim quæ ſub aliorum iudicium veniũt: leges autem nõ veniunt ſub iudicium, ſed ipſæ (id eſt iudices, qui ſunt viua lex) de aliis iudicant. qui autem in mortis periculo verſatur, nõ expectat legum auxilium, quod abeſt; ſed ſibi ipſe auxiliatur armis præſentibus, legibus probantibus, quod natura æquiſſimum eſt : quòd autem hoc ſentiat Cicero, præter naturæ ſenſum, oſtendunt etiam illa duo verba* ante quam,*ad expectandum, non ad ſpectandum accommodata.*

6. Auunculus huius noſtri iudicis] *Placet, vt vox* iudicis *deleatur : nam Cato hic dixit pro Milone, vt conſtat ex Aſconio,& Quinctiliano in lib.* IV.

7. Quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere voluiſſet] *Habet hoc aliquid ſimile cum illa Demoſthenis ſententia contra Midiam :* ἐγὼ δὲ, *inquit ,* ὅπερ ἂν ὑμῶν

ἕκαστος ὑβρισθεὶς προείλετο πρᾶξαι, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐποίησα,

8. Exhibe quæſo Sex. Clodi exhibe librarium illud legum veſtrarum] *Quidam legũt* armarium, *pro* librarium. *at armarium non exhibetur, ſed codices ex armario. vocare autem videtur librarium multiplices leges ſingulis contentas codicibus.*

9. Quam rem & ſi neceſſariò feciſti] *Quidam* nefariè *legunt pro* neceſſariò.

10. Proponi ſolitam eſſe] propoſitam fore *Ant. Auguſtinus. ſed pro* motu *in manuſcripto eſt* metu, *quod placet.*

11. Mille hominum verſabatur valentium aduerſari] *Ita habet Victorius: Manutius delet* aduerſari: *quem ſequitur Lambinus. ſed vterq; retinent* valentium: *ſatis quidem bene, ſed melius Ant. Auguſtinus, qui vtranq; vocem delet.*

12. Metuebat ſcilicet, ne indicaretur] ne indicarent *vetus liber rectius. & paullo poſt*, verbi cauſſa, *pro eo quod eſt in vulgatis*, vbi caſca.

13. Præſertim omnia audienti, magna metuẽti] intuenti, *pro* metuenti *habet antiquus liber.*

14. Multi etiam Catilinam atq. illa portenta loquebantur] *Ant. Auguſtinus* tempora *legit: quod verbum minus vehemens eſt, quàm* portenta.

15. Ebrioſorum confeſſionem] *Magis placet, ſi legatur* ebriorum.

16. Is qui ita natus eſt, & ita conſueuit: te magne tamen atteſtaretur] in qua natus eſt & ita conſueuit &c. *habet manuſcriptus liber. Ant. Auguſtinus putat hunc locum non vacare mendo; cùm tamen mihi, neque verbis, neq; eorum ordini videatur aliquod ineſſe mendum; ſententiis autem potius aliquid deeſſe. illa enim verba* ita, ita, *videntur aliquid deſiderare, nec minus il-*

lud

lud atteſtaretur *requirit neſcio quid,quod atteſtandum eſſet: poteſt itaq; locus non mendoſus videri, vt illa* ita ita *pendeant ex ſuperioribus*; *ad* atteſtaretur *autem nihil præterea requiratur, quum diſcedens Pompeium atteſtaretur,(quod vulgo dicitur proteſtari,quod antiquis iu vſu hoc non puto fuiſſe) ſe illius ſuperuacaneis ſuſpicionibus iniuria cariturum patria, non ſuo aliquo crimine,aut fœda committendi ſceleris conſcientia.*

17. Cùm tu ſalutaribus vt ſpero rebus tuis] *Ant. Auguſtinus pro* ſalutaribus *legit* ſaluis, *non modò melius,quàm in vulgatis, ſed etiam neceſſariò: nunquam enim memini me legiſſe* ſalutare *niſi in cauſa,& vtilitate ſalutis. incidi poſtea in librum manuſcriptum, qui Ant. Auguſtini coniecturam confirmaret.*

18. Hunc exercitu,hunc delectu dato] *Ant. Auguſtinus mauult* hoc,hoc: *at non oſtendit exercitum, neque delectum, ſed hunc virum per emphaſin, quem talem deſcripſerat.*

19. Si factum vobis] *Melius* ſin factũ vobis &c.

20. Per quem Tribunum virum cõſularem crudeliſſimè necatum eſſe meminiſſet] *Ita eſt in vulgatis, quod neſcio quo modo ferri poſſit. Ant. Auguſtinus optimè,& neceſſariò legit* vexatum.

21. Caput vrbis] *Vetus liber* orbis.

22. Hiccine vir patriæ natus vſquam niſi in patria morietur,aut,ſi fortè, pro patria.] *Ita hũc locum quidam interpungunt, & rectè, vt videtur.*

IN ORATIONEM PRO C. RABIRIO POSTVMO.

1. C.Curius] *Ita legendũ,non vt in quibuſdã libris* Curtius.*neceſſe autem eſt,quem defendit Cicero,adop-*

omnia denique ab his nummorum argumenta nata ſunt: *pro* nummorum *verbo manifeſtè corrupto*, mimorum *edidit Lambinus. quam lectionem ſequor eò libentius, quòd in veteribus quoq; editionibus inuenitur. Amicus quidam meus coniectura ductus fortaſſe non mala*, venenorum, *pro* nummorum *legēdum eſſe exiſtimat, quòd αἰγύπτια φάρμακα, & αἰγυπτιστὶ Græcum prouerbium celebre ſit.*

10. Vt intelligi facilè poſſit, quod ex ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus eſt, ad quenquā perueniſſe in illo primo iudicio planum factum ſit, in hoc genere iudicij redigi ſolere] *Ita hunc locum legit Pantagathus. alij tamen aliter emendarunt.*

11. Poſſum excitare multos reductos teſtes] relictos *fortaſſe melius legeretur*, *pro* reductos, *ſi antiqui alicuius libri confirmaret auctoritas.*

IN ORATIONEM
PRO M. MARCELLO.

1. Dolebam enim P. C. ac vehementer angebar virum talē] *Ita Faërnus, qui verba illa cum* viderem, *vt ſuperuacanea tollebat. paullo etiam poſt totum hoc delebat*, Nec mihi perſuadere poteram. *& infrà legebat*, Cùm M. Marcellum ſenatui Reiq. publicę conceſſiſti commemoratis præſertim offenſionibus &c.

2. Lætitia peruenit quod quidem ei meritò] *Ita legit Faërnus. & paullo pòſt*, Quis enim illo aut nobilitate &c.

3. Tamen hoc affirmo] *Faërnus delet* hoc: *& infrà legit*, quæ quidē ego niſi tam magna, *pro* ita magna. *paullo etiam pòſt*, multis, *pro* militibus.

4. In iſtius ſocietatem gloriæ ſe non offert, tibi

 concedit]

concedit] *Faërnus ita legit, cùm aliȷ habeant* cedit. *paullo pòſt*, ea tamen viciſti *legit, pro* ſed tamen ea viciſti. *infrà quoque* facit *pro* faciat. *&* neque ſolum noſtris, *pro* non ſolum &c.

5. Etiam dum audiuntur aut dum leguntur] *Faërnus* etiã cùm leguntur, *melius quàm eſt in vulgatis.*

6. Cuius mentem, ſenſusq́ue eos cernimus] *Optimè Faërnus pro* & os cernimus, *vt eſt in vulgatis; paullo pòſt legit*, Quòd breui tempore illa futura ſit auctoritas.

7. Commemorabili pietate, ac virtute] *Faërnus delet* ac virtute.

8. Omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit] *Faërnus* memoriam effudit. *Vulgata lectio deſendi poteſt, ſuffragante illo etiam Siliȷ verſu ex libro* v.

—Sed eſt veſtrum cui nulla doloris
Priuati rabies, is verò ingentia ſumat:
E'medio fodiant quæ magnas pectus in iras.

9. Eſt propria C. Cæſaris] *Ita legit Faërnus. & infrà*, Huius autem tu idem & dux es, & comes. *paulo pòſt, totum hunc locum ex antiquorum codicum fide ita reſtituit*, Quæ quidem tanta eſt, vt trophæis, & monimentis tuis finem allatura ſit ætas (nihil enim eſt opere & manu factum, quod non aliquãdo conficiat, & conſumat vetuſtas.)

10. Non perinde intelligi poſſet auditu] *Ita Faërnus, qui infrà delet vocem* ipſa, *cùm in aliis ſit*, cum ea ipſa.

11. Fato ſumus neſcio quo] *Ita Faërnus, & bene quidẽ: ſed melius Ant. Auguſtini liber habet* fuimus.

12. Audiendumq́. putaui] *Faërnus delet* eſſe, *&* flagitantium *legit pro* efflagitãtium. *paullo pòſt*, ſemperq́.

perq́. mea conſilia pacis & togæ non belli atque armorum fuerunt, *cùm in aliis ſuperuacaneum ſit verbum* ſocia.

13. Et tam luctuoſum excitauerunt] *Melius in Faërni libro* excitauerint.

14. Quos in Rep. tecum ſimul ſaluos eſſe voluiſti] *Faërnus delet* ſimul. *& paullo pòſt pro* & ſpecie Reip. *legit* facie Reip. *ſine coniunctionis nota. infra etiam*, Tua enim cautio noſtra eſt : & ſi peccandum &c. *legit, deleta voce* cautio, *quæ ſecũdo loco poſita eſt.*

15. Vt quo duce ſumma omnia] *Ita Faërnus. paullo pòſt*, An ſi tui nihil cogitant ſceleris, cauẽdum eſt, ne quid inimici.

16. Ex vnius tui] tua *Faërnus. & infrà*, motus, *pro* euentus. *&* credimus, *pro* credamus. *paullo etiam pòſt ita legit:* omniaq́. quæ dilapſa iam defluxerunt.

17. Satis diu vel naturæ vixi vel gloriæ] *Ita hunc locum legit Faërnus* : *& infrà* vixiſſe te ſatis.

18. Aut ſi tibi etiam ſoli] *Faërnus delet* ſoli. *& paullo pòſt*, Res tuæ geſtæ, *tollit verbum* geſtæ.

19. Quicquid eſt enim quamuis amplũ id certè eſt parum tum, cùm eſt aliquid amplius. quodſi immortalium rerum tuarum &c.] *Ita legit hunc locum Faërnus, & rectè vt videtur. paullo ſuprà*, Parum ne igitur inquies magnam gloriam relinquemus.

20. Vel in ſuos ciues] *Faërnus delet vocem* ciues: *& infrà legit*, Eaq́. tu imprimis cum ſumma tranquillitate. *paullo etiam pòſt* : Quanquam tuus iſte animus nunquam his anguſtiis quas natura nobis ad viuendum dedit contentus, ſemper immortalitatis amore flagrauit.

21. Quam ipſa æternitas ſemper intuebitur] *Faërnus* tuebitur. *paullo poſt*, Pugnas innumerabiles, incredi-

incredibileſque victorias.

22. Vt illud fati videatur, hoc fuiſſe conſilij] *Ita Faërnus. &* armatum *paullo pòſt*, *pro* armatorum, *omnino melius: &* Vt iam ille ſit melior, qui in acie cecidit, quàm qui in cauſa animam profudit.

24. A ſtātibus omnibus] *Faërnus* omnibus ſtantibus. *paullo pòſt*, præter eum quidem, *pro* præterea quidē, *legit. & infrà in fine Orationis, delet* in me vnū.

IN ORATIONEM PRO Q. LIGARIO.

1. Quis putet fuiſſe crimen eſſe in Africa] *Videtur legendum vt eſt in manuſcripto,* Quis putet eſſe crimen fuiſſe in Africa.

2. T. Brocchi] Brocchus *Furiæ familiæ cognomen eſt in argenteo denario, in quo* L. FVRIVS CN. F. BROCCHVS *deſcriptus eſt.*

3. Vt perhibetis] & prohibiti *vetus liber elegantiſſimè; & ad ſententiam aptiſſimè.*

4. Etiam ſi à Varo, & quibuſdam aliis prohibiti eſſetis] *Vetus liber,* ſi à Varo & quibuſdam aliis prohibiti non eſſetis.

5. Ego autem confitebor] *In manuſcripto eſt* tamen, *vnde apparet legendum* ego tum &c.

6. Quàm vt velis conſeruare quamplurimos] *Sententia innominati auctoris extat apud Strabonem lib.x. in quo ſcriptum eſt:* εὖ γὰρ εἴρηται καὶ τοῦτο, τοὺς ἀνθρώποις μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεοὺς ὅταν εὐεργετῶσιν.

IN ORATIONEM PRO DEIOTARO.

1. Crudelis Caſtor] *De Caſtore hoc, videndus Suidas in voce* Κάστωρ.

2. Aui

2. Aui ſeruum] ac ſeruum *vetus liber.*

3. Si tum auxilia Pompeio] *Videtur legendum,* ſi tantum auxilia Pompeio : *ad quam ſcripturam accedit propius liber antiquus.*

4. Nihil de veneno : at id fieri potuit] *Antiquus liber,* Nihil de veneno ? nihil. at id fieri potuit.

5. Qualis rex Attalus in P. Africanum fuit] *Vel* Antiochus *ſcribendum eſt pro* Attalus , *cui ſunt hac à Liuio, aliisq́ ſcriptoribus tributa; vel erit ipſius Ciceronis ἁμάρτημα μνημονικὸν.*

6. Alexandriæ] Alexandrea *eſt in argẽteo M. Lepidi denario, &* Alexſandrea. *ſed* Alexandria *vidi notatum in denario Hadriani Imp.*

7. Niceam] *Scribendum eſt* Nicæeam : ΝΙΚΑΙΕΩΝ *enim habent vetera huius populi numiſmata.*

8. Quæ eſt tam impudens] *Vetus liber* tam impotens.

9. Eius enim nomine optimi hominis] optimi viri, *eſt in libris manuſcriptis, quam lectionem agnoſcit Priſcianus lib.* VIII.

IN LIB. I. PHILIPPIC.

1. Multa prætereo, eaq. præclara] *Antiquus liber corruptè habet,* ea quo clara ſunt: *vnde Ant. Auguſtinus coniecit legendum,* eò quòd clara ſunt. *ſed non video cur receptam lectionem mutare neceſſe ſit.*

2. Vncus impactus eſt fugitiuo illi] victus *corruptè pro* vncus *eſt in vetere quodam libro: vnde coniiciebat amicus meus legendum eſſe* , Vinclis impactus eſt fugitiuus ille: *quod non placet.*

3. Ad tempus occurſurum putarem] *Ant. Auguſtinus* , ad id tempus occurſurum &c.

4. Vt

4. Vt in altiſſimo gradu dignitatis locati] *Liber Vaticanus habet*, Vt in altiſſimo ampliſſimoque gradu dignitatis locati.

5. Quod idem facere non potuit] *Videtur legendum*, non facere potuit.

6. Quam autem ad Reip. peſtem furor Tribunicius impelli non poterit.] *Vetus liber*, Quem autem ad Reip. peſtem furor Tribunicius impellere non poterit?

7. Vrbe incendio, & cædis metu liberata] *Ex libro antiquiſſimo Vaticano Faërnus hæc verba quæ in vulgatis deerant, reſtituit; in quibus tamen* incendij, *pro* incendio *videtur legendum.*

8. Num te cùm hæc pro ſalute Reip. tanta geſſiſſes, fortunæ tuæ, num amplitudinis &c.] *Ita legitur hic locus in libro Vaticano.*

9. Vt in illo apparatiſſimo ſpectaculo ſtudium populus R. tribueret abſenti, deſiderium liberatoris ſui perpetuò plauſu, & clamore leniret] *Ita hic quoq; locus legitur in libro Vaticano, in quo eſt* tribueret, *non vt Faërnus edidit*, tribuerit.

IN LIB. II. PHIL.

10. Commendationem tibi ad impios ciues] apud impios *Ant. Auguſtinus.*

11. Non virtutis ſpecie] ſpe *pro* ſpecie *habet liber Vaticanus: quod placet.*

12. Præter P. Clodium] *Liber Vaticanus* præter te P. aut Clodium, *vnde conici poteſt legendum eſſe*, præter te aut P. Clodium.

13. Operis ſubceſiuis] *Abſunt hæc duo verba ab antiquiſſimo libro Vaticano.*

14. Pro-

14. Prouideram] præuideram, *liber Vaticanus.*

15. Sed etiam oneraret alienis] *Verbum* oneraret *abeſt ab optimo libro Vaticano.*

16. Diſtinctius] diſiunctius, *liber Vaticanus.*

17. Q. Fufij honeſtiſſimi Equitis R. ſuique amiciſſimi] *Vetus liber*, ſibique amiciſſimi.

18. Quo ego tempore tanta mala] *Liber Vaticanus*, quo tempore ego quanta mala &c.

19. Inde iter Alexandriam] Alexandream *habet liber Vaticanus, & ita eſt in argenteo denario M. Lepidi, de quo ſuprà meminimus.*

20. Tu à me obſeruatus in petitione quæſturæ] ouatus *corruptè ſcriptum eſt in libro Vaticano; pro quo verbo Ant. Auguſtinus legebat*, comitatus: *ſiue, vt amicus meus*, ornatus.

21. Vt in eo magiſtratu, ſi poſſes viri tui ſimilis eſſes] *Pro* viri *in libro Vaticano eſt* virtutis; *omnino mendoſè:* vitrici *eſt in alio libro, quod placet, & de P. Lentulo intelligendum eſt.*

22. Si per te licuerit] licebit, *rectius eſt in libro Vaticano.*

23. O miſerum te ſi intelligis] ſi hæc intelligis, *liber Vaticanus.*

24. Vt igitur in ſeminibus] *Comparatio ſumpta ex Demoſthenis oratione pro Cteſiphonte, in qua ſcriptum eſt ita*, ὁ γὰρ τὸ σπέρμα παρασχὼν, οὗτος τῶν φύντων κακῶν αἴτιος.

25. Sequebatur rheda cum lenonibus] *Ita eſt in libro Vaticano. Victorius autem legit* Leonibus: *quod non placet. vſus eſt enim* leonibus *Antonius, ſed poſt Pharſalicam pugnam, vt ſcribit Plinius, non autem in hoc itinere Tribunicio, initio eius inſaniarum. nam iter hoc Antonij Tribunicium anno ſuperiore fuit:*

&

& leones non ad rhedam, ſed ad currum iunxit.

26. Reiecta mater] *Liber Vaticanus habet* recta, *ſed mendoſè. amici autem mei manuſcriptus alius codex habet*, rhedicula. *Ant. Auguſtinus putat legẽdum* lectica: *ſed frigidius verbum videtur, quàm* reiecta, *id eſt, in extremum compulſa.*

27. Tum ſibi non hanc quam malè tuetur] *Liber Vaticanus variat à Faërni correctione in hoc, quòd non habet verba illa*, ſibi, & hanc; *ſed ita*, tum non Cn. Pompeij domum qum nunc malè tuetur &c.

28. Haſta poſita pro æde Iouis Statoris, bona ſubiecta Cn. Pompeij, miſerum me] *Ita legitur in libro Vaticàno, cùm in Faërni editione deſit vox* ſubiecta, *quæ primo loco poſita eſt.*

29. Os importuniſſimum] impuriſſimum *eſt in libro Vaticano.*

30. Quamuis ſis, vt es, violentus, & furens] vinolentus *eſt in vetere quodam libro, & ita putat legendum Ant. Auguſtinus. ſed hæc lectiò, plus habet ſpeciei, quàm veritatis.*

31. Huius in ſedibus pro cubiculis ſtabula] huius in ædibus &c. *habet liber manuſcriptus.*

32. Ex duodecim tabulis cauſam addidit] *Faërnus ex vetuſto codice Vaticano* claues ademit. *quam ſcripturam agnoſcit etiam Nonius: ſed vulgata lectio magis mihi placet: nam valde iuri & æquitati conſentaneum eſt, eum qui dimittat vxorem cauſam addere, cum ſponte ſua (vt ſe apud iudices ſuos excuſet, & facilius alteram reperiat vxorem) tum iubente lege hoc facere, quæ non temerè, & pro arbitrio ſinat dimitti vxores, & ſeri diſcordias inter vtraſq; familias (vt de Caruilio dicitur, qui primus Romæ repudium fecit, ſterilitatis cauſam addidit.) præterea quàm multa ſunt, quæ*

nec

nec habent, nec habere volunt claues rerum viri: & quàm multa reperiri poſſunt vxores, quæ ademptis clauibus, non repudientur. omnino parum attinet ad repudium, clauium ademptio.

33. Tamen erat æquiſſimum contra Cn. Pompeij liberos Cn. Pompeij pugnare ſectorem] *Ita Faërnus: at in libro Vaticano aliter ſcriptum reperitur:* Tamen quem erat æquiſſimum contra Cn. Pompeij liberos pugnare? quem? te ſectorem.

34. Qui verò Narbone reditus & tamen quærebat] *Aliter eſt in manuſcripto, & fortaſſe melius:* Qui verò Narbone reditus eius. nam quærebat &c.

35. Nullis nec Gallicis, nec lacerna] caligis, *& hîc, & infra habet liber Vaticanus, pro* Gallicis.

36. Verùm implicata inſcitia impudentia eſt] *Vetus liber habet*, impudentiæ.

37. Prima claſſis vocatur renuntiatur deinde (vt aſſolet) ſuffragia: tum ſecunda claſſis vocatur] *Ita eſt in Victorij editionibus, & Manutij, qui tamen non habet vltimum* vocatur. *Faërnus ex Ant. Auguſtini coniectura legit* ſuffragatum: *quam lectionem Ciceronis conſuetudo incommodam facit, qui nunquam otioſis verbis vtitur. hic verò teſtatur ſe citò dixiſſe, cùm ait,* Citius ſunt facta, quàm dixi: *nam hic ſingula ferè verba ponit pro ſingulis ſententiis: atqui* ſuffragatum *otioſiſſimum verbum fuiſſet: quanam enim alia de cauſa claſſes vocarentur in ouile (modò in hoc vocabulo non errem, cùm duo eſſent loca in campo Martio iuncta; alter, in quo omnes ciues promiſcuè conuenirent; alter, in quem ex eo vocatæ ſingillatim claſſes aut Tribus ſuffragatum ſe conferrent) niſi ſuffragij cauſa? illud mihi perſuadere non poſſum, quin alterum* renuntiatur *luxatum*

xatum non ſit. Quare ita Pantagathus legendum hūc locum exiſtimabat: Sortitio prærogatiuæ: quieſcit. renuntiatur: tacet. prima claſſis vocatur: deinde ſuffragia.renuntiatur: item ſilet. tum ſecunda claſſis vocatur. *hæc lectio cur quædam transferat, intelligi facilè poteſt. ſed præterea duo requirit: primum, aliud eſſe renuntiari prærogatiuam, aliud renuntiari euentum ſuffragiorum: alterum, prærogatiuam non prius ferre ſuffragium, quàm vocetur prima claſſis: tum, ea vocata, prius prærogatiuam, deinde claſſem ferre ſuffragium: omnino illa duo* quieſcit. tacet, *deſiderant hoc,* item ſilet, *quod etiam ex illis verbis* confecto negotio *elicitur. quid enim opus eſt illis verbis* vt aſſolet, *quum poſt vocationem & introitum, nihil aliud quàm ſuffragium feratur?*

38. Suſtulit illum diē fortuna Reip.] *Ita Faërnus ex libro Vaticano, cùm in vulgatis legeretur* populi R. *pro* Reip. *ſed ego receptam lectionem retineo. memini enim Ciceronem in Catilinam, & alibi etiam ita locutum fuiſſe, & in argenteo* Siciniæ *gentis denario* FORT. P. R. *hoc eſt* FORTVNA POPVLI ROMANI *inſcriptum eſſe.*

39. Vt eius omnem propter proximum dictatorem metum tolleres] *Vaticanus liber*, Vt eius omen nomen propter proximum dictatoris metum tolleres, *ex cuius ſcripturæ veſtigiis coniici poteſt legendum eſſe*, vt eius omne nomen &c.

40. Nemo igitur iureconſultus] iureis conſultus, *liber Vaticanus: ſed antiqua inſcriptio* C. AQVILLIVS FLORVS *(habet)* iureconſultus.

41. Quorum etiam imitatores ſunt] licitatores, *Ant. Auguſtinus.*

42. Cretenſium vectigalibus liberantur] *Magis placeret ſi*, vectigales *legeretur.*

43. Qui in ſimili calamitate ſint] *Ita legendum ex libri Vaticani corrupta ſcriptura.*

44. Quid? metuiſti] cùm metuiſti *liber Vaticanus*: *fortaſſe legendum* commetuiſti &c.

45. Filiam eius, ſororem tuam eieciſti] *Ita eſt in Vaticano. Ant. Auguſtinus ex manuſcripto etiam libro*, *pro* ſororem *legit* vxorem. *at in* eieciſti *hoc continetur: eiecit igitur*, *& ſororem*, *& vxorem.*

46. Campana, & Leontina] *Puto hoc gloſſema eſſe. paullo pòſt pro* quaſi te ſanaſſet, *in Vaticano eſt*, quid ſi te ſanaſſet? *& pro* quaſi deſertum; quid iſte diſertum: *vt*, quid ſi te diſertum &c. *legendum ſine dubio videatur.*

47. Incredibile dictu ſed tamen inter omnes] *Liber Vaticanus*, ſed cum vinus, *pro* ſed tamen, *corruptè. Ant. Auguſtinus* ſine conuiciis *legit. Pantagathus verò putabat ſatis commodè legi poſſe*, ſed omnino inter, *vt iungantur*, omnino neminem: *nam ſatis ſuperbiæ eſt in non reſalutando, niſi etiam adderentur conuicia. neque hoc diſpliceret*, Dictu ex omnibus inter.

48. Confer eum cum nummatione tua] *Liber Vaticanus corruptè habet* hac in manum latione: *vnde Ant. Auguſtinus coniiciebat legendum eſſe*, hac immani nundinatione: *optima coniectura ſine vlla prorſus controuerſia.*

49. Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litteræ, cura, cogitatio, diligentia] *Ita legit Faërnus, ex libro Vaticano, cùm in aliis ſit*, litteratura, *pro* litteræ cura: *nihili faciens duo ſequentia verba, quæ ferè idem*

ualent, cùm priora diuerſa inter ſe ſignificẽt. adde quòd omnia ſingularia præter litteræ.

IN LIB. III. PHIL.

50. At verò huius domi, inter quas illa pendebatur aurum] *Ita Faërnus.* calices *pro* quaſilla *habet Victorius. quæ tamen lectio non probatur: Nam* illius *non dixiſſet, cùm paullo ſuprà dixerit,* quam hic. *præterea non hic agit de ebrietate, ſed de ſordibus, vt hæc verba oſtendunt,* humile ſordidum. *neque potationes fiunt inter mulierculas domeſticas in gynæceo, quod illi ſuprà obiecit in his nundinis, & alibi, non per Fuluiam.* Quaſilla *Faërni conueniunt loco quidem, ſed tamẽ non planè ſatisfaciunt. itaque videndum an melius emendarit Pantagathus,* inter ancillas.

51. Vt Iulia natus ignobilis videatur] *Ita Faërnus: quæ lectio quamuis ferri poſſit, Ant. tamen Auguſtini coniectura propius ad veritatem accedit,* nata: *facit etiam magis ad ſimilem cum M. Antonio rationem, vt idem ſit Atia matri, quod Antonius ſuæ.*

52. Nam me iiſdem edictis] *Vetus liber,* iam me in eiſdem edictis &c.

53. At in rebus triſtiſſimis quantos excitat riſus] tritiſſimis *legebat aliquando Faërnus, qui mutata ſententia* triſtiſſimis *poſtea retinuit, cùm priorem coniecturam nemini probaſſet.*

54. C. Ceſſedius] *Ita Faërnus pro* Cæſſetius, *vt eſt in aliis, emendauit: at liber Vaticanus habet* Ceſtius, *opinórque deſignari* C. Ceſtium, *qui in aureo nummo* P R. *deſcriptus eſt.*

55. M. Iccius] Itius *ſcribendum eſt ex auctoritate argentei*

argentei deuarij, in quo L. ITIVS *notatus eſt.*

56. Ex his totus vitiis conglutinatus eſt] *Ita liber Vaticanus. Faërnus autem videtur vocem* vitiis *vel non animaduertiſſe, vel vt gloſſema reieciſſe.*

57. L. Egnatuleio duce, ciue egregio] *In libro Vaticano eſt,* quem optimo, *vt ſit* Quæſtore optimo.

IN LIB. IV. PHILIPP.

58. Præclarè & loco Quirites reclamatione veſtra &] *Ita liber Vaticanus.*

59. Quanquam alia omnia falſa incerta caduca mobilia virtus eſt &c.] *Ita eſt in Vaticano, cùm in aliis deſit vox* falſa.

IN LIB. V. PHILIPP.

60. Aditus hoſtium prohibentur] *Placet vt legatur* Aditu hoſtes prohibentur, *& ita habet vetus liber.*

61. Auctoritate noſtra repudianda eſt] *Manuſcriptus liber habet,* repudenda, *pro* repudianda, *vt videatur legendum* retundenda.

62. Quibus rebus tanta pecunia vna in domo coaceruata eſt, vt ſi hoc genus penè in vnum redigatur, non ſit pecunia populo Romano defutura] *Ita legitur hic locus in Vaticano. Faërnus omiſit vocem,* penè, *quæ corrupta omnino eſt, ſed ita corrupta, vt reſtitui aliquo modo poſſit, ſi mutetur vel in* pecuniæ, *vel* penu, *vel in aliud verbum ſimile, ex quo ſenſus aliquis elici poſſit.*

63. Cydam Cretenſem] *In argenteo apud me numiſmate M. Antonij, quod Cretæ cuſum fuit, inſcri-*

ptum eſt, ΚΥΔΑΣ ΚΡΗΤΑΡΧΑΣ. ΚΡΗΤΑΙΕΩΝ.

64. Niſi victorem victurum neminem] *Ita Faërnus, & rectè. poteſt etiam ferri Ant. Auguſtini lectio, quam antiquo libro adiutus ex coniectura reſtituit*, niſi qui vinceret victurum neminem.

65. Noſtros quo iubemus ire, ſi non paruerit Antonius. ad noſtrum ciuem mittimus ne imperatorem, ne coloniam populi Romani oppugnet.] *Ita eſt in Vaticano : in quo tamen vox* legatos, *quam ex aliis codicibus retinuit Faërnus, videtur neceſſariò deſiderari.*

66. Mittebantur pro Annibalis hoſtibus noſtris etiam ſociis] *Aliter legitur in manuſcripto, & fortaſſe melius*: Mittebantur ad Annibalem pro hoſpitibus noſtris & ſociis.

67. Num quando] nunquam *liber Vaticanus, ſed fortaſſe* vnquam, *legendum eſt.*

68. Noui hominis inſaniam arrogantiam] *Ita liber Vaticanus. Faërnus cum Ant. Auguſtino legit*, inſanam: *at infrà ipſe*, ſit per ſe ipſe ſanus. *illud quoque*, ſunt alia: *&*, inſaniam, arrogantiã, perdita conſilia, *fauent antiquæ lectioni* : *vt illa* alia *quò plura, eò vehementius moueant.*

69. Vnde eſt adhuc bellum tractum niſi &c.] *Ita liber Vaticanus.*

70. Et in Italia præter Galliam totam] *Vide num rectius ſit in antiquo*, Et in Italia, præterea Gallia tota.

71. Ne ſit ea res fraudi] *Antiqua hæc ſcribendi formula in vetere etiam ſenatusconſulto expreſſa eſt*, μὴ βλαβερὸν τοῦτο γένηται.

72. Sapientia

72. Sapientia etiam id potius extingui quàm armis] *Ant. Auguſtinus*, Sapienti clementia potius extingui quàm &c. *quæ coniectura confirmatur cum iis, quæ infrà ſcripta ſunt*, Cúmque eius opera, virtute, conſilio ſingularíque clementia & manſuetudine bellum acerbiſſimum ciuile ſit reſtinctum; *tum quòd in Lepidi numiſmatibus Clementiæ ſimulacrum inciſum eſt, Æmiliæ gentis vel potius Lepidi ipſius inſigne, vt opinor, peculiare.*

73. Agrum Picenum habuit inimicum] amicum *Ant. Auguſtinus ex hiſtoria.*

74. Quanquam eſt magnus illi ætati] illa ætate *liber Vaticanus.*

75. Si anno ſuperiore Quæſtor fuiſſet] *Puto legendum* Prætor *pro* Quæſtor, *ſed repugnant veteres libri.*

76. Alter ambóue rationem agri habeant] *Cùm in libro Vaticano* a. a. ſeu rationem &c. *ſcriptum reperiſſem, facilè intellexi ſenatusconſulti formulam ſignificari, quæ totidem litteris interpunctionis nota diſtinctis, in vetere apud me ſenatuſconſulto in ænea tabella expreſſa eſt hoc modo*, A. A. S. E. V. *hoc eſt*, Alter ambóue, ſi eis videretur. *cuius quidem formulæ ignoratio cauſa fuit, cur doctiſſimi quidam viri qui diligenter illum codicem cum vulgatis libris contulerunt*, ſeu *litteras nullis interpunctas notis omiſerint cùm hic, tum paullo ſuprà in hoc ipſo ſenatuſconſulto, in quo pro* Alter ambóue cognoſcerent, *habet liber Vaticanus* a. a. ſeu cognoſcerent, *hoc eſt*, Alter ambóue ſi eis videretur cognoſcerent. *ſed litterarum* ſeu *veſtigia apparent in eo codice adhuc in litura, cum alia manu, eius ſcilicet qui illam formulam prorſus ignoraret*, ſeu *litte-*

ræ mutatæ fuerint in verbum ſigna.

IN LIB. VI. PHILIPP.

77. Hodierno autem die neſcio] *Pro* neſcio, *eſt* pænè ſcio *in libro Vaticano.*

78. Noui vinolentiam] *Ita Faërnus ex codice Vaticano legit pro* violentiam: *at in caſtris hoc ei non puto obiiciendum, ſed domi. Quòd enim non paſſurus ſit legatos ingredi Mutinam, non faciet ebrietate, ſed violentia. quod confirmat* belluam *illum appellans, in qua non eſt vinolentia.*

79. Horam eximere nullam in tali ciue liberando non poſſumus] *Ita Faërnus: at Victorius* horam exhibere nullam, *ſiue vt eſt in alio libro*, vllam. *Sed Faërni lectio contrarium ſenſum facere videtur: nam qui eximit horam in liberando, citius liberare videtur: qui autem addit horam, tardius; atque ideò cum ſcelere. Mihi moleſtiam exhibet illud* exhibere horam. *quare mallem* moram exhibere vllam.

80. Tutorem dicere auderet] *Liber Vaticanus habet* patronum *pro* tutorem.

81. Iani medij patrono] *Miror Faërnum omiſiſſe antiquam lectionem, quæ eſt in libro Vaticano*, à Iano medio, *& vulgatam* Iani medij *retinuiſſe, quæ nullo confirmatur teſtimonio antiquitatis*: à Iano *autem* medio *dicebant, vt à* Iano primo *& ab* imo, *vt eſt apud Horatium. extant huius loquendi formulæ exempla in veteribus etiam apud me inſcriptionibus:*

OSSA
C. IVLIVS. C. L. NICO-
MACHVS. A. IANO
PRIM. PAL.

C. LEPIDVS
C. L. ANICETVS
A. IANO. MEDIO.

82. Poſſetis taciti cogitare] iudicare *liber Vaticanus.*

83. Cupidum me] ſtupidum me, *fortaſſe legendum, vel* timidum, *vt mauult Ant. Auguſtinus.*

84. Improbis ciuibus] impiis, *liber Vaticanus; & ita alibi locutus eſt.*

IN LIB. VII. PHILIPP.

85. Nihil enim iam niſi modeſti poſtulare] modeſte *habet liber Vaticanus.*

86. Suſcipiunt partis patrocinium qui ſic diſputant] *Ita Faërnus. ſed in Vaticano aliter ſcriptum eſt,* ſuſcipiunt patris (*vt ego ſuſpicor* pacis) patrocinium: non ne ſic diſputant.

87. Eiuſdemque cura incredibilis, in aſperrimis belli ciuilis periculis perſpecta docuit non modò ſalutis, ſed etiam dignitatis meæ fuiſſe fautorem] *Ita in Vaticano codice ſcriptus hic locus reperitur, excepto verbo* fautorem, *quod ab imperito librario, in* factorem *mutatum fuit.*

88. Patronus eorum qui Tribuni militares fuerunt] *In manuſcripto aliter legitur, &, vt mihi videtur, melius:* Patronus fori in quo ei ſtatuam Trib. militares ſtatuerunt.

89. Idcirco in hac cuſtodia & tanquam ſpecula] *Ita Faërnus: ſed ex Vaticanæ ſcripturæ veſtigiis* cuſtodiet, *legi poteſt,* Idcirco in hac cuſtodiæ tanquam ſpecula &c.

90. Vt vacuum metu populum R.] *Liber Vaticanus habet,* Vacuo omni metu populum R. *vt quin* vacuum omni, &c. *legendum ſit, dubitari non poſſit.*

91. Arma ſaga bellum flagitauerunt.] *Liber Vaticanus* Armato bellum flagitauerunt.

92. Qui vicinos ſuos] *Vetus liber*, qui ciues ſuos.

IN LIB. VIII. PHILIPP.

93. Mutina obſidetur] Mutina dominaretur, Seturna obſidetur, *habet liber Vaticanus corruptè, nec mihi diuinare licet, quomodo emendanda ſint duo illa verba, quæ interpoſita ſunt, quamuis poſtremũ in* Claterna *commodè mutari poſſit*.

94. Parua eſt enim mihi tecum aut parua de re diſſenſio] *Legendum ex antiquo*, Parua eſt enim mihi tecum ac parua &c.

95. Ante Conſules oculoſque legatorum] ante hos *habet liber Vaticanus, vnde coniecit Ant. Auguſtinus, legendum eſſe* os: *cuius coniecturam cur non penitus probem, cauſæ duæ ſunt. Primùm, quòd idem eſt* os, oculoſque. *deinde, quòd ex octo litteris redigit ad duas: tum verò excludit conſulem Hirtium, qui etſi non erat in caſtris Antonij, erat tamen ad Mutinam (puto hoc tempore.) Quare libentius legerem*, ante conſulem, *non quidem ante oculos eius, ſed qui non longè aberat à Mutina, ac propè præſens erat. Legati verò tres erant in caſtris Antonij.*

96. Sed ipſe eſt totus repudiandus] potius *pro* totus *eſt in Vaticano.*

97. Vtramque prouinciam inquit remitto] *Ant. Auguſtinus delet* vtramque, *quia dicit paullo poſt*, Galliam inquit Togatam remitto, Comatã poſtulo: *at huius loci tota ſententia videtur retinere* vtramq. *primùm verba, quæ ſtatim ſequuntur*, Priuatus eſſe

non

non recuſo: *deinde infrà*, Galliam Togatam remitto, Comatam poſtulo: *planè non ſunt eadem mandata cum ſuperioribus, alioqui bis eadem repetiſſet. ſed vt ſit in ferendis conditionibus, Antonius dabat optionem Senatui populóque R. vtra mallet mandata, aut conditiones accipere, quod ea verba clarè oſtendunt εἰρωνικῶς dicta*: Neque tamen nos vrget mandatis pluribus: remittit aliquantum, & relaxat. *cùm enim dicit* pluribus, *oſtendit, non eadem eſſe*: *cùm* remittit & relaxat, *oſtendit Antonium contrà facere.*

98. Huius comitiis C. Frater, (eſt enim iam annus, vt repulſam tulit) ipſe autem] *Ita habent Faërnus & Victorius. vterque, vt opinor, malè de Caio Fratre: eſt enim verè Lucius qui habebat eoſdem honorum annos, cum Bruto, & Caſſio. itaque Ant. Auguſtinus ita legit*, Lucius Comitiis conſul fiat. *ego nō video ex hoc toto loco hoc eſſe in mādatis, vt Lucius conſul fiat: hoc enim pendet ex euentu Comitiorum. etiā Marcus videretur dubitare de dignitate Lucij: ſed in hoc perquam ſalsè, & copioſè inuehitur in Antonium, quod cùm impudenter petat, vt quinquennium obtineat Comatam Galliam cum ſex legionibus, idem eſt, ac ſi peteret vt obtineret eam, quoad Brutus & Caſſius Proconſulibus ſuas prouincias legitimo biennio obtinerent. Sua verò copia Tullius inucit ſalem in ſale, cùm dicit: Non enim eſt quòd exiſtimetur Lucius repulſis Bruto & Caſſio fieri ſuo anno Conſul, quum iam ante ipſa comitia omnium iudicio repulſam tulerit. Quare ita libenter hunc locum legerim ſeruatis veſtigiis verborum corruptorum*: Binis comitiis L. Frater (eſt enim idem annus) iam repulſam tulit: *comitiis inquam prioribus prenſationis (quæ*

erant

erant futura proximo Quinctili) alteris verò petitionis ipſius, quæ futura erant in ſequenti anno, quibus vtriſque iam Lucius dicitur à Tullio, repulſam non laturus, ſed iam tuliſſe.

99. Non dico animo ferre] *Pro* animo, *emendauit* ad nos, *Ant. Auguſtinus.*

100. Etiam reducere] deducere, *vetus liber habet, pro* reducere.

IN LIB. IX. PHILIP.

101. In ipſa cura, ac meditatione] *Ita liber Vaticanus, in quo errore librarij*, ad *ſcriptum eſt*, *pro* ac.

102. Atque & huic & Tullo Cliuio]atqui & huic & Tullo Cluuio *habet liber Vaticanus. opinor autem pro* Tullo *ſcribendum eſſe* Tito, *quòd id prænomen peculiare ſit Cluuiæ familiæ, ſiue Cloulia,*

103. Fideliſſimæque coniugis] *Ita liber Vaticanus.*

104. Ac pænè diuina] *Ita liber Vaticanus, multo quàm vulgati melius.*

105. Mortem magis doluerit] morte *videtur legendum ex libro Vaticano.*

106. Quaque verſus] *Vetus liber* quóque verſus: *& infrà habet*, exſoluendam *pro* ſoluendam.

IN LIB. X. PHILIPP.

107. Qui te ſententiam primùm rogat]prius *habet liber Vaticanus : ſed* primus *legendum videtur.*

108. Cur igitur non iis faues, eos laudas &c.] *Vetus liber*, Cur igitur non iis faues? cur non eos laudas?

laudas? &c.

109. Certa condicio exercitus, ſi modò erat vllus exercitus] *Ita eſt in Vaticano.*

110. Nec enim legiones eæ quæ M. Antonium reliquerunt] *Ita habet liber Vaticanus.*

IN LIB. XI. PHILIPP.

111. Alter in Aſiam irrupit curſim, vt in Syriam patebat via] *Mihi magis placet, vt eſt in manuſcripto,* Alter in Aſiam irrupit curſu, cui in Suriam patebat via &c.

112. Ex hoc illa effecta eſt] efficta eſt, *habet liber manuſcriptus, & ita omnino legendum opinor.*

113. Vllam partem eſt relicturus] vllam eſſe partem relicturus, *legendum videtur ex libro Vaticano.*

114. T. Annium Cimbrum] *Ita Faërnus. ſed in vetere meo manuſcripto codice eſt,* C. Annium: *& ita olim Ant. Auguſtinus, ex Quinctiliano & Suetonio eruditè emendauit.*

115. Quid ſeuerius decernere] de genere *habet liber Vaticanus, vnde coniici poteſt legendum eſſe* degenero: *conſtat enim Kaleni filiam, Dolabellæ nuptam fuiſſe.*

116. Et illam ignominiam familiæ] à familia *habet liber Vaticanus.*

117. Sicut multa conſulem alterum ambóue] *Ita Faërnus: quæ lectio ferri poteſt, licet alij emendarint,* Sicut multis Senatus conſultis alterum ambóue, *vel,* decernerem planè ſicut multi conſulem &c. *nota eſt autem formula in Senatuſconſultis,* a.a. *hoc eſt,* alter

alter ambóue.

118. Non igitur Brutus expectauit decreta noſtra, cùm ſtudia noſſet] *Libentius legerem cum manuſcripto meo codice, pro* expectauit *&* noſſet, expectabit *&* noſcet.

119. A.Allieno] *Ita ſcribendum eſt antiquis numiſmatibus auctoribus: licet in vetere libro ſit* A.Prolectio, *pro quo* A.Plotio, *poſſet reponi.*

120. Cùm Parthorum nobiliſſimos duces, maximasque copias fudit] *Vetus liber*, Cùm Pacori nobiliſſimi ducis magnas copias fudit.

IN LIB. XII. PHILIPP.

121. Spe allata deditionis] *Placet* oblata.

122. Quam amici pacem appellare mallent] *Vetus liber*, appellarent C. Halieni : *vt videatur fortaſſe legendum*, Quam amici pacem appellarent, fallaciam alieni.

123. Si licebit manebo] *Deeſt* &, *vt ſit*, & ſi licebit, manebo.

124. Oderint hoſtem] *Placet* adeant hoſtem, *vel* adierint.

125. Poſſum ne igitur ſatis vobis videri cautus] *Ita eſt in vetuſtiſſimo libro, & melius, quàm in vulgatis; qui non habent verbum*, vobis.

126. Atque impias manus abſtinebit] *Videtur tranſtuliſſe ex Homerico illo*, βαρείας χεῖρας ἀφέξει.

127. De qua mihi quoniam liberũ eſt ſpatium] *Vetus liber*, Dumque mihi liberum eſt, multo etiam &c.

IN

IN LIB. XIII. PHILIPP.

128. Barbatios] *Opinor legendum eſſe* Barbatos: *ſuit enim* Barbatus *Antonij Quæſtor, vt ex inſcriptione antiqui denarij colligitur, & Appiano in libris bellorum Ciuilium*.

129. Virtute præſtare tantum vt poſſint fortunæ culpam non extimeſcere] *Aliter ac Faërnus edidit, locus hic legitur in codice Vaticano: ita enim habet:* Virtutem præſtare (tantum enim poſſunt) fortunæ &c.

130. M. Lepidus Imp. iterum Pont. Max.] *In manuſcripto non eſt vox* iterum, *& rectè, vt opinor: nam M. Lepidus in veteribus & lapidum & numiſmatum inſcriptionibus, nunquam (quod ſciam)* Imp. iterum *inſcribitur*.

131. In prædæ diſſipatione] *Vetus liber*, diſpenſatione.

132. Hæc ſi cogitas, es M. Lepidus Pontifex Maximus M. Lepidi Pont. Max. pronepos] *In manuſcripto codice multo hæc melius leguntur, quam Faërnus edidit*: Hoc ſi cogitas M. Lepide, M. Lepidi Pont. Max. fueris pronepos. *paullo ſuprà, pro* forte traduxerit, *legit Ant. Auguſtinus* Fortuna duxerit.

133. Ardor extingui] *Placet vt legatur*, reſtingui.

134. Citius delata, quàm ſcripta] relata *magis placeret*.

135. Et quod genus] ingenium *mallem pro* genus. *& paullo pòſt*, mentem meritumque, *pro eo quod eſt in vulgatis*, mentum mentemque.

r. 136. Et

136. Et vt venefica hæc liberetur obſidione] veneficus hac, *habet liber antiquus manuſcriptus.*

137. Innocens Gallius] *In vetere libro additum eſt prænomen M. quod exſtat apud Appianum etiam in lib.* III. *& Suetonium in Tiberio.*

138. Viſeius neſcio quis] Viſellius *eſt nomen familiare Romana temporibus Augusti in antiquis monumentis.*

139. Qui verò Prætorij] *Placet* quid, *pro* qui, *vt eſt in manuſcripto.*

140. Orbem terræ parere] *Neſcio quomodo magis placet* patere *pro* parere: *quæ lectio reperitur in antiquo.*

141. Veteranorum colonias deductas lege S. C. ſuſtuliſtis] *Ita eſt in antiquo codice ſine copula* &: *& paullo pòſt, pro* iure belli, *habet vetus liber*, iura belli.

142. An neſcitis neminem Pompeianum] *Ita eſt in vetere codice, cùm in vulgatis deſint illa*, an neſcitis. *infra etiam* remiſero *ſcriptum eſt*, *pro* emiſero.

143. Qui quæſo iam legis Hirtiæ] *Vetus liber*, quis quæſo &c. *quod placet.*

144. Eademque adhiberet ſupplicia nobis] inhiberet *eſt in antiquo*, *pro* adhiberet.

145. Quam à populo Romano defectionem vocas? potius M. Trebonij mortem quàm Cæſaris perſequimur.] *In manuſcripto legitur*, quàm à Rep. diſſenſionem vocas? Trebonij mortem an Cæſaris perſequimur?

146. Quo te victore] *Videtur pro* quo, *ſcribendum* quom, *ſiue*, *vt Ant. Auguſtinus mauult*, cùm.

147. Cæſar tum exercitu per ſe comparato primis peſtibus Remp. liberaſſet] *Ita eſt in antiquo libro manuſcripto: in vulgatis autem videtur abundare particula* tum.

148. Proludium illud, & portentum] prodigium *pro* proludium, *vidi in quodam libro notatum.*

149. Tanta multitudine hoſtium interfecta: hoſtium dico? ita inquam hoſtium: quamuis hoc iſti hoſtes domeſtici nolint] *Ita legitur hic locus in duobus manuſcriptis codicibus, qui ſunt apud me, peruetuſti.*

150. Me per Idus Quinctiles, qui dies hodie eſt] *Ita eſt in vulgatis Victorij & Manutij codicibus, & malè. Ant. Auguſtinus legit,* Me pridie Quinquatrus, *nihilo melius, ſed contrario, quàm illi errore: pugna enim Mutinenſis circiter Idus Apriles facta eſt: Quinquatrus autem poſt Idus Martias celebrabantur. Totum autem hunc locum ita legebat Pantagathus, minore vt ipſe dicebat ſtrepitu, & commodiore fortaſſe ſenſu*: Non ne ſatis eſt ab hominibus virtutis ignaris gratiam benemerentibus non referri? etiam ne iis, qui omnes ſuas curas in Reip. ſalute defigunt? ſcitis enim per hos dies creberrimum fuiſſe ſermonem, me per Idus Apriles, qui hodie eſt, cum faſcibus deſcenſurum: at quem in Imperatorem crimen inuidia quæritur? credo hoc in gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam eſſe conſultum, non in eum &c.

151. Viribus potiùs ſuis, quàm Reip. infelicem] ciuibus potius ſuis, *Ant. Auguſtinus.*

152. In has ſententias meas ſi conſules deſignati diſceſſionem facere voluiſſent] *Ita eſt in vulgatis, & malè. Ant. Auguſtinus rectè negat deſignatos, qui iam gererent conſulatum: ſed nihil reponit pro* deſignati.. *Octauius Pantagathus legebat* dedignati *hoc ſenſu: quòd Antonium non putarent hoc nomine dignum, atque ideò noluerint eam diſceſſionem facere: vix enim credi poteſt, tollendum eſſe tam longum verbum, quin aliud, pro eo, reponendum ſit.*

153. Quibus non modò viuis ſed etiam victoribus incolumis & florens ciuitas eſſe poteſt] *Ita eſt in duobus manuſcriptis, iis denique antiquiſſimis codicibus. ego tamen vulgatam lectionem retineo, dummodo ex ea & copula, quæ eſt ante verbum* incolumis, *deleatur.*

154. Quo Hirtium] *Ant. Auguſtinus legit,* quo modo Hirtium: *& ita videtur legendum.*

155. Prœlio audito & cognito] *In duobus vetuſtiſſimis apud me codicibus eſt*, Prœlio audito, re cognita; *quod placet.*

156. Præſtantiſſimoque animo] *Placeret* præſentiſſimoque, *licet repugnent veteres libri.*

157. Si his videatur] ſi eis videatur, *eſt in manuſcripto codice: & ita legendum eſt ex auctoritate veteris ſenatuſconſulti.*

158. Locandum, faciendum q.vrb. ad eam rem pecuniam dare, attribuere, ſoluere iubeant] *Ant. Auguſtini coniecturam, qua locus eſt hic reſtitutus, adiuuat antiquus apud me liber, ex cuius ſcripturæ veſtigiis huiuſmodi lectio perſpicuè elici poteſt. eadem Octauio quoque Pantagatho in mentem olim veniſſe ex eius annotatione ad oram libri cognoui. His autem*

non

non diſſimilia ſunt illa ex vetere, quod eſt apud me, ſenatuſconſulto in ænea tabella, Locum lautitiaque Q. Vrb.eis locare, mittereque iuberent.

159. Iiſque tribuantur.] eáque tribuantur *habet liber antiquus manuſcriptus : & ita legendum videtur,*

IN FRAGMENTVM ORATIONIS PRIMÆ PRO C. CORNELIO.

1. Quid Metellus ſumma nobilitate ac virtute! cùm bis iuraſſet, ſemel priuatim, iterum publicè lege deiectus eſt ratione an vero? ſuſpicionem enim tollit &c.] *Ita hunc locum fœdè in vulgatis libris corruptum emendauit Carolus Sigonius, ſed cùm ex deprauati codicis veſtigiis poſſit elici lectio fortaſſe etiam commodior, quæ ab ipſa Pædiani explicatione, qui locum adducit, confirmetur; non grauabor illam deſcribere, ſi quid fortè in Sigoniana emendatione ab aliquo deſideretur*: Cùm bis iuraſſet, ſemel priuatim patri, iterum publicè legi, is deiectus eſt ratione, an vi? an varij ſuſpicionem animi tollit &c.

IN FRAGMENTVM ORATIONIS II. PRO CORNELIO.

2. Legem Liciniam & Muciam de ciuibus regundis, quam duo conſules omnium quos vidimus ſapientiſſimi tuliſſent video conſtare inter omnes non modò inutilem, ſed pernicioſam Reip. fuiſſe] *Ita legitur hic locus in manuſcripto codice, & ita omni-*

no legendum eſſe arbitror.

3. L. Siſenna bonorum Cn. Cornelij poſſeſſionem ex edicto ſuo] L. Cornelius Siſenna Prætor inter ciuis & peregrinos M. Lepido, Q. Catulo Cos. *deſcriptus eſt in vetuſtiſſimo ſenatuſconſulto, quod Gracè ſcriptum extat apud me in anea tabella:* ἐπὶ ὑπάτων Κοΐντου Λυτατίου Κοΐντου υἱοῦ Κάτλου, καὶ Μάρκου Αἰμιλίου κοΐντου υἱοῦ, Μάρκου υἱωνοῦ, λεπίδου, στρατηγοῦ δὲ κατὰ πόλιν, καὶ ἐπὶ τῶν ξένων, Λευκίου Κορνηλίου Σισέννα &c.

4. Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalicij mercatoresque ſuperarunt] *Eadem ſententia vſus eſt Euripides;*

Μὴ πλοῦτον εἴπῃς, οὐχὶ θαυμάζω θεὸν,
ὃν χ' ὡ κάκιστος ῥαδίως ἐκτήσατο.

IN FRAGMENTVM ORATIONIS IN TOGA CANDIDA.

5. Sed ego ea lege contentus ſum] *Abeſt à libro manuſcripto aduerbium* ſed, *& rectè, vt videtur.*

IN FRAGMENTVM ORATIONIS IN L. PISONEM,

6. Neque enim hæc mea natura fert] hoc, *habet liber manuſcriptus, & melius, quàm vt eſt in vulgatis.*

IN LIB. Q. CICERONIS DE PETITIONE CONSVLATVS.

I. Ac Vanniorum] Nanniorum &c. *eſt in antiquo codice manuſcripto, cui lectioni ſuffragatur locus in Epiſt. ad Atticum* XIV. *libro primo:* Noſti Caluum ex Nanneianis illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te ſcripſeram.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITT. EM. ...

ANTVERPIAE,
EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS ARCHITYPOGRAPHVS REGIVS,
ANNO CIↃ. IↃ. LXXXI.